

COLL. REG. MED. LOND.
MDXVIII
Ο ΒΙΟϹ
ΤΕΧΝΗ
ΒΡΑΧΥϹ Η
ΔΕ
ΜΑΚΡΗ

3

COMMENTATIO INAUGURALIS

DE

SYNOCHO TROPICA,

VULGO

FEBRE FLAVA DICTA.

COMMENTATIO INAUGURALIS

DE

SYNOCHO TROPICA,

VULGO

FEBRE FLAVA DICTA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

CAROLUS HENRICUS PARRY,

ANGLUS.

VII. Calendas Julias, horâ locoque solitis.

Ducitur semper nova pompa morti.

SENEC. *Oedip.* 125.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

1804.

PATRI

OPTIME MERENTI,

S.

HABE TIBI ITERUM, PATER OPTIME, testimonium officii mei, qualecunque sit: Habe TIBI quod ope tuâ concinnavi munusculum, argumentum animi beneficiorum haud immemoris; nihil enim facilè naturæ magis consentaneum, nihil dulcius inveniam, quàm, ut, beneficiis tuis maximis ornatus, exiguis pro facultatibus meis TIBI consecrarem, quo habeo neminem honoris gradu superiorem.

TRISTES, eheu! et valdè lamentabiles fuêre rerum vices ex quo TIBI, PATER, prioribus annis laborum primitias, perleve pietatis atque observantiæ pignus, obtuli. Carentem patriâ et amicis meis consuetudine quotidianâ detinebat FRATER conjunctissimus et usu amicitiæ et contubernio, carissimus propter suavitates multas ingenii, officii, humanitatis. —At omnibus ILLE flebilis bonis occidit!—Parentibus insignem virtutibus, omni officio ac pietate eximium FILIUM; nobis percarum FRATREM, suavem amicum; popularibus, in quo plura eluxerunt indus-

triæ

triæ et ingenii ornamenta, summâque modestiæ famâ adolescentem abstulit intempesta, inopinata mors.

Grande quamvis superest, et quamvis usque supererit desiderium carissimi capitis per memoriam amicitiæ disjunctæ, contemplatione tamen virtutum suarum, " quas neque lugeri, neque plangi fas est," ad earundem imitationem omnes, sua dòmus, perducamur.—Ille abiit ad Cœlos!—Nos faciamus animo forti magnoque simus, speremusque fore ut in mortem accincti paria fata consequamur.

ERRATA.

Pag. 6.	lin. 14.	*pro*	solvit.	*lege*	solvunt.
—— 13.	— 24.	——	affecti	——	affecta
—— 30.	— 4.	——	iste	——	ista
—— 31.	— 11.	——	propagatum	——	propagatam
—— 83.	— 6.	*dele*	viguisse		
—— 104.	— 2.	*pro*	liquefactum	——	liquefactam
—— 132.	— 17.	——	Virginicæ.	——	Virginianæ.

COMMENTATIO INAUGURALIS

DE

SYNOCHO TROPICA,

VULGO

FEBRE FLAVA DICTA.

HISTORIA MORBI.

MORBUM, in cujus naturam atque indolem paulò accuratiùs inquirere animus est, variis appellationibus, iisque vel a symptomatibus per ejus decursum obviis, vel ab ejus origine quam aperuisse visi sibi sunt nonnulli, vel denique a regionum quas infestat diversitate arcessitis, designari satis constat. Sic Francogalli auctores sunt nomini *La Maladie de Siam*, quum primitùs eum ex ejusdem

nominis

nominis regione, quæ in Indiis Orientalibus est, advenisse persuasum habuerunt. Iidem nomen *La Fievre matelotte* assumsêre, quum huic febri præcipuè advenas et nautas obnoxios esse cognovissent. Hispani *El Vomito preto*, scil. Nigrum Vomitum, appellant, symptomatis hujusce morbi periculosissimi habitâ ratione. Angli quoque naturæ ejus respectu, *The Yellow Fever, the Endemic Remittent, the Bilious Remittent* (Febrem Flavam, Endemicam Remittentem, Biliosam Remittentem) vocant, propter latum febris dominium, violentiæ suæ remissionem, et cutis flavedinem, quæ certis morbi temporibus occurrere consueverint. Quæ quidem omnia cognomina perperam ac temerè morbo isti indita esse, facilè admodum est perspicere. Sunt enim ex iis quæ symptomata includunt, quæ non semper, nec ubique, isti morbo adhærent; neque unum eorum ita comparatum est, ut hunc morbum ab aliis, specie quidem similibus, sed symptomatibus characteristicis admodum diversis, distinguat, propriamque hujus indolem accuratè definiat.

His

His præmonitis, primùm morbum, ab historia symptomatûm, explicare aggrediar. Atque hanc quidem, quo rectiùs in hoc negotio versarer, ex iis præcipuè auctoribus concinnandam duxi, qui inde ab anno 1793, quo primùm dira ista lues grassari cœpit, de hac exposuêre. Neque tamen momenta potiora morbi nostri cum antiquiore illo ejusdem nominis, cujus scriptores antiquiores meminêre, collata, suo loco designare negligam.

Morbum in tria stadia, re ipsâ suadente, perspicuitatis causâ dividendum statui; quorum primum *nimiæ excitationis*, secundum *quietis*, tertium *nimiæ debilitatis*, appellandum existimem.

Stadium Primum.

Stadium primum in quibusdam casibus præcedere solet alvi adstrictio, obtusus lateris dextri dolor, cibi fastidium, ventris inflatio, stomachi dolor, vertigo atque capitis dolor, oculus hebes, aquosus, nec raró fulgidus, flavus

vus aut ruber, visûs acies obtusa, raucitas et levis gutturis exulceratio, animus demissus, subinde tamen elevatissimus, sudandi facilitas, nonnunquam sudorum nocturnorum suppressio. Hæc plùs minùsve biduum aut triduum ægrum, antequam lecto affigitur, malè habere solent. Aliquando morbum præcedit urinæ pallidæ excretio, et noctu ante explicitum morbum somnus altissimus.

Frequentior autem notarum harum absentia, terribiliorem morbi impetum præsagit. Plerumque enim, quum validissimus e lecto surrexerit homo, subitò lassitudine quâdam et vertigine corripitur, et humi sine sensu concidit. In hoc accessu, qui ultra horæ dimidium ferè persistere solet, gelido sudore corpus diffluit, et horror cum rigore ægrum affligit. Ubi animus cum sensu rediit, frigori succedit calor intensus; tenuis et durus pulsus arteriæ, et adeò frequens, ut nonagies in minuto horæ moveatur. Nonnulli tamen pulsum lentissimum experiri solent, qui non ultra quadragesimum, quadragesimum octavum vel quinquagesimum ictum progrediatur.

tur. Violentior ferè carotidum et temporalium arteriarum existit motio, cum peculiari capitis dolore, qui maximè in infima frontis parte et pupillis sævit. Oculi tristes, aquosi, inflammantur, et lucem ferre recusant. Faciem et tunicam adnatam rubor præternaturalis occupat, qualis ferè in ophthalmiis esse solet, atque hic idem ad cervicem atque pectus descendit. Ex adspectu autem vehementiorem calorem, quàm verè in ægro deprehenditur, suspiceris. Vultus quidem, incipiente morbo, prodit ineffabilem angorem, et juxta quosdam auctores adeò dissimilis redditur aliâ quâcunque febre laborantium vultui, ut hunc cum domestici, illum cum feri animalis vultu comparent. Acer dolor, modò dorsi graciliorem partem, modò membra, præsertim crura posteriora, excruciat. Magnam conqueritur æger in regione epigastrica et præcordiis anxietatem atque oppressionem, levissimo quoque tactu ingravescentem. Hæc comitantur assiduum vomitûs desiderium, frequentissima suspiria, et creber ac difficilis spiritus. Neque tamen aliud horis primis

quàm

quàm materiam quamcunque nuperrimè stomacho receptam vomitus rejectat, nisi quod cum phlegmate et substantia quadam densa, glutinosa, subalbida commista, deprehenditur. Nulla ferè ante horam vigesimam quartam bilis evomitur; quamvis rariora quædam exempla extant, quæ etiam primo die, juxta quosdam aliquantulum, et secundum aliorum observationes magnam viridis vel flavæ bilis copiam, excretam fuisse docent. Atriorem dehinc colorem, vomitus ad tertium, usque aut quartum diem assumunt. Pertinax urget alvi adstrictio, quam non nisi valentissima cathartica solvit. Densa urina, parvâ quantitate et rubro colore, difficulter, non sine urethræ calore, exstillat. In hoc stadio somnus difficilior ægrum, somni cupidissimum, molestè habet; et irritabilitas assidua, omnia rejiciens, stomachum vexat. Levat aliquando ægrum sanguis e naribus copiosè profluens, quod quidem intra duodecim aut octodecim primas morbi horas accidit. Delirium, quod plerumque breve esse solet, maximam partem huic stadio proprium est, ac ferè

perpetuum

perpetuum signum. Nonnunquam etiam supervenit coma, inde a secundo morbi die.

Signa hæcce, quæ primum constituunt stadium, majore vi a primo inde ad secundum aut tertium diem ingravescere solent; quo demum remittit febris, et morbi secunda, quam *quietis* dixeris, periodus incipit.

QUIETIS STADIUM.

Cessante febre et reliquis primi stadii signis, coloris mutatio secundum stadium aperit; oculis, quà albi sunt, tum cervice et pectore, nonnunquam regione aurium posticâ et capitis coronâ, flavescentibus. Pulsus iterum solitâ celeritate movet, et corpus calorem solitum recipit. Peculiarem tamen quendam et dubium pulsus motum habet, quem præternaturalem vel intelligentior medicus difficulter observat. Cutem quamvis egelidam siccitas aspera, tactui injucunda, occupat. Tenacissimum se præstat stomachus, et signa quævis periculosa aufugisse videntur. Debilitas

bilitas tantùm quædam ægrum opprimit, et coma, quod planè somni naturalis speciem, assumit. Æger se optimè habere persuasus, lætus ac hilaris amicorum colloquio fruitur. Superest tamen in omni gestu, anxietas quædam ac tumultus animi.

Conditione hac blanda fruenti ægro, post duodecim horas supervenit gravis angor et inquietudo, major præcordiorum oppressio, vomitio continua cujuscunque rei in stomachum devectæ, cum multo nisu, rauco miserabili, et vano clamore, dentiumque stridore, qui circumstantibus horrorem injicit. Materia primo nixu ejecta quantitate receptæ inferior est, et fluidum exhibet clarum, aquosum, glutinosum. Hoc paulatim glutinosius fit, et, si subsidit, ad imum defertur subfusca et lutea substantia. Magnoperè abjectus, ægri vultus horridum nonnunquam assumit visum. Alvi frequentissimæ existunt, et materiæ vomitu ejectæ similes.

Ad hunc modum increscit morbus, donec vomitus niger, signum mortiferum, accedit. Hic autem violentior est, et colore coffææ sedimini

dimini simillimus esse fertur. Hunc ferè comitatur abundans sanguinis ex naribus, faucibus, cæterisque corporis partibus, profluvium.

Debilitatis nimiæ Stadium.

A vomitu nigro incipit tertium, seu nimiæ debilitatis, stadium. In hoc, sanguis etiam per oculos et cutis poros fluere non desinit. Infestat ægrum singultus molestus; corpus inquinat lividus et purpureus color; petechiæ, sic dictæ, in multis corporis partibus, præsertim in cervice et pectore, oriuntur; quicquid urinæ excernitur, nigri ferè coloris est; redditur a stomacho, quicquid devolutum in eum est; levatur etiam paullulùm a vomitu dolor. Friget corpus. Major sensim ingruit debilitas, pulsusque quadraginta ictibus in minuto circumscribitur, nec raró inter vomitum omninò movere cessat. Adsunt ferè constanter delirium, deglutitionis et spiritûs difficultas, subsultusque

tendinum. Tum demum convulsiones præsentissimam antecedunt mortem. Protrahitur hoc stadium ferè ad horam vigesimam quartam vel adeò trigesimam sextam. In aliis, paucas perdurat horas.

Hæc quidem frequentiora sunt symptomata, quæ plurimos ægros infestant. Durationis autem tempus admodum variat. Dummodo medicamentis datis non interrumpatur ac turbetur, quinto plerumque vespere appropinquante finitur. Haud raro cursum ita accelerat, ut tertio die æger morti acerbissimæ succumbat.

Præter hæc allata, in quibusdam magnæ signorum varietates occurrunt, pro corporum habitu, sexu, ætate, et anni tempore. Interdum enim evenit, ut æger inde a primo morbi molimine veternosus fiat; quod si accidit, magna et permanens pupillarum dilatatio semper observatur. In aliis continua brevium convulsionum series morbum accidentem indicit, easque delirium constans sequitur, et sudor gelidus sine cutis ullo interveniente calore. Occurrunt etiam aliquando aphthæ albæ

bæ coagulo similes, cum densa ejusdem materiæ et coloris crusta, quæ dentes et fauces superintegit.

Morbi hujusce quàm citissimas periodos esse, experientia satis docuit. Febris decessio, vel ægroti mors, diebus imparibus semper accidit: morbi autem metastasis in melius pejusve diebus paribus, adeò quidem, ut, si sub vesperam diei secundi ingravescat ægri valetudo, tertio moriatur; si in pejus quarto ruat die, quinto morbo succumbat, et sic porrò. Eadem hæc vicissim valet regula, ægro ad spem vitæ erecto et convalescente.

Asperiorem quidem febris induit indolem, quum post vigesimam quartam aut tricesimam sextam horam intervallo, quo sanam mentem receperat æger, succedit accessus convulsivus, in quo subitò concidit, ex ore spumas movet, oculos terribiles volvit, et membra distorquet. Qui quidem, si non hominem jugulat, quod tamen plerumque accidit, secundi certè impetu post paucas horas facto opprimitur. Extant etiam leviores casus, ubi contagionis stimulus adeò languidè agit,

ut

ut afflictos vix lecto aut domibus coërceat, qui quidem instantis tantùm adversæ valetudinis signis, quæ initio commemoravi, tanguntur. Illud quoque observatu dignum est, quod flavedo et vomitus niger non in omni casu occurrant; ut adeò propria istius morbi signa haberi nequeant.

Adductis his in conspectum, et cum antiquiore febre flava, ab HILLARIO et aliis descripta, benè comparatis, ex symptomatûm similitudine facilè perducimur, ut utramque febrem unum eundemque morbum habeamus. Itaque sectionum historiam, ab iisdem cum aliis desumptam, hic adjicere visum est.

SECTIONES.

Partium internarum speciem morbidam, sectionibus deprehensam, in hominibus earundem regionum, diversis annis, maximè inter se differre cognitum est. Omninò non multùm affici videtur cerebrum. Casum memorat

rat ANNAN, a RUSHIO (p. 122.) citatus, ubi venæ præter naturam turgidissimæ erant. In casu, etiam a CHISHOLMIO memorato, juvenis cujusdam robusti et floridi, qui febre hac perierat, quique auxilium medicum aspernatus fuerat, sanguis in cerebro tantâ copiâ inveniebatur, ut præter id, quod inter aperiendum profusum esset, duæ libræ colligerentur; viscera thoracis ferè sana. Casum habet CHISHOLMIUS (p. 136), in nauta, qui quinto die periit, observatum, in quo paroxysmis convulsivis inceperat et finierat morbus. Pulmones hujus quàm maximè inflammati, et texturâ et colore livido erant. Jecur nonnunquam sphacelatum, ubi stomacho superjacet; textura sæpè vitiata, sæpè magnitudine dimidium imminuta, flaccida, et colore flavo-rubra. Vesica fellea et ductus biliares turgidi, et bile putridâ nigrâ oppleti: jecur etiam, stomachus, et partes vicinæ, maculis lividis, nigris, putridis plenæ. Omentum, fluido hoc nigro turgidum, nonnunquam adeò consumptum est, ut tantùm appareant vasa sanguifera. Maximè stomachus et duodenum morbo affecti

ti apparent. Quinto die, morientibus membrana villosa valdè inflammata et turgida facta est. Inflammatio ista per pylorum in duodenum extendi solet. Tunicæ intimæ, sæpissimè detractæ et separatæ visæ sunt. HUME tamen, a RUSHIO (p. 110.) citatus, affirmat, se casus quosdam vidisse, in quibus nulla inflammatio fuerit, quamvis etiam vomitu violento ægri laborâssent.

Expositis, quæcunque morbum designant, symptomatibus, et aperti cadaveris morbida specie; sequitur, ut paulò latiùs in temporum et locorum, quibus sæviit febris, historiam inquiramus.

HISTORIA

HISTORIA LOCORUM AC TEMPORUM,

INTRA QUÆ FEBRIS FLAVA SÆVIIT.

DIVERSÆ admodum de morbi hujusce origine, in medicorum disputationibus et initio mali hujus extitêre, et etiamnum existunt, opiniones. Nos, quidem, ad hanc rem explicandam, afferre conabimur, quicquid ex fide dignissimis rerum factarum monumentis deducendum putamus.

Inter omnes ferè constat, primum terrorem febrem flavam injecisse in insula Grenada, mense Aprili anni 1793; et feliciter accidit, ut librum, a CHISHOLMIO, ejusdem insulæ incola, scriptum teneamus, in quo satis probabiliter ille originem et progressum dirissimi hujusce morbi constituisse videtur.

Ex hoc auctore discimus, naves onerarias duas, quarum una *Hankeii* (*Hankey*) nomine dicebatur, a Societate Sierræ Leonæ conducta,

ex

ex Anglia solvisse incipiente mense Aprili, anno 1792, artis cujusque instrumentis et supellectili, tum hominibus, qui *Boullamium* fortunarum suarum sedem transferre, ibique novam coloniam constituere in animo haberent, onustas. Hos quidem omnes cum nautis et eo tempore, quo portu solverent, et in ipsa navigatione, bonam valetudinem expertos fuisse traditur, neque, quum nequaquam paupertate laboraverint, quippe qui tam mancipiorum negotiandorum (quam Æthiopum mercaturam vocant), quàm divitias accumulandi, consilio iter suscepissent, ulla in eos cadere poteſt suspicio, latentem quampiam infectionem, ex priore vitæ conditione derivandam, iis adhæsisse.

Insula ipsa Boullamium (*Boullam*), ad ostium fluminis grandis (*Rio Grande*), in littore Africæ, qua austrum inter et occidentem jacet, sita, quadraginta quinque passuum millibus ambitur; quumque valdè sicca sit, et leniter auris marinis perfletur, littoris illius tractus in saluberrimis jure habetur, quamquam omninò propter aquæ inopiam non habitetur.

bitetur. Infestant eam certis temporibus Æthiopes continentis, quos quidem ferocissimos atque anthropophagos adeò ferunt. Quæ ipsa res nautas cæterosque Hankeii vectores coëgit, ut in nave subsisterent, quoad in illo littore commorarentur; et per hoc tempus solis fervorem periodicosque imbres, latera navis erigendo ac tectum ligneum superimponendo, excluderent. Ita inclusi, animoque ob spem frustratam dejecti, homines, ducenti numero, si mulierum et infantum ratio habetur, novem permansêre menses. Necdum longum tempus ibi commoratos febris aggredi cœpit; quumque hujus insulæ aquæ invenirentur insaluberrimæ, Coxius (*Coxe*) navis Hankeii præfectus, quo huic malo mederetur, satiùs habuit, *Bissao* adire, coloniam Portugallicam, quæ in ea insulæ parte est, qua ad septentrionem magis vergit. Quò certiùs autem ac meliùs istud iter eveniret, novos duodecim nautas conduxit, quorum novem statim moriebantur, antequam navis Boullamium iterum appelleret; cæteri tres, cum ipso præfecto, pessimâ conflictabantur valetudine.

Quum jam effluxisset tempus, per quod navis conducta esset, et domum redire oportuisset, Angliam in eadem hac nave cum familia sua repetere statuit Paiba quidam, (a quo notitiam hanc accepit Chisholmius), postquam diu in ista regione spe lucri falsâ commoratus fuisset. Quum autem nautæ morbo absumpti essent, Paiba cum ægroto præfecto et tribus tantùm nautis, qui navem regerent, mari se committere coactus erat. Qui ubi difficulter insulam *St Jago* attigissent, quatuor impetravêre nautas a *Charonte* et *Scorpione*, navibus bellicis. Tertio die, postquam ab hac insula solvissent, febre tentabantur remiges modo in navem recepti, quorum duo periêre: reliqui duo, miserrimè affecti, in *Grenada* insula exponebantur.

Quum frequens inter Hankeium et naves suprà memoratas commercium fuisset, a priore cum ultima febris communicata est, adeò, ut ex Charontis nautis triginta, ex Scorpionis quindecim perirent. Pervenit Hankeius in portum Sancti Georgii (*St George*), qui est in ora Grenadæ, die xix. Februarii anni 1793.

Hìc

Hìc prìmum navem invisit præfectus quidam, nomine REMINGTON, Hankeii præfecto amicitiâ vinctissimus. Qui quum triduum in nave mansisset, sub reditu a febre tentatus tertio die mortuus est. Idem morbus, quamquam multò clementiùs, unum quoque nautam affecit.

Posteà intempestivæ ejusdem urbanitatis aut curiositatis pœnas dedere nautæ navis BAILLIES, unde omnes deinceps naves, quæcunque in portu starent, febris invasit, neque una quidem ab hac contagione integra fuit, quamvis sollicitè eam prohibere conarentur. Inde factum est, ut ex septingentis quinquagenis nautis, qui tunc temporis in portu essent, ab incipiente Martio ad finem Maii ducenti quinquaginta hac febre morerentur. Medio demum Aprili illa in terram adjacentem propagata est, fœminâ nigrâ, quæ nautarum vestes lavandas recepisset, eam circumferente ac disseminante. Cum præsidio quoque militum a præfecto quodam communicata est, qui Hankeium prope casas militares jacentem incautè salutâsset.

Narrat

Narrat auctor, a quo superiora hæc hausimus, febrem hanc deinceps ab insula Grenada Sanctum Dominicum (*St Domingo*) et Philadelphiam, navibus advectam fuisse, vestibus, præsertim nautarum defunctorum tuniculis interioribus, quas illac veherent, miasmata contagiosa retinentibus *.

MACLEANIUS (*Maclean*), qui librum de natura et causis funestæ inter milites apud Sanctum Dominicum cladis edidit, e navi ascendisse ait milites ad promontorium *Nicola Mole* aliasque littoris partes, febre dirissimâ affectos, typo et symptomatibus a vera remittente admodum diversa. Febrem is pronuntiat contagiosam fuisse, et Legionem nonagesimam nonam ferè extirpâsse, aliasque benè multas quàm maximè attenuâsse. Idem affirmat, febrim in navibus onerariis ex militum castris in Hibernia exportatam fuisse, antequam agmina naves conscendissent. Remittentem porrò Sancti Dominici, cum febre a CHISHOLMIO, et ea quæ Philadelphiæ sævit,

---

* CHISHOLM. a pag. 89,—99.

viit, a Rushio descripta, similitudinem habere negat.

Hisce Macleanii benè respondent observationes Lemprierii, libro de exercitûs, quì in Jamaica fuit, morbis, proditæ; in quo de febre sua, quæ eadem ac Chisholmii et Rushii esse videtur, "Qualitates possidere (ait) contagiosas, et quatenus has possideat, eatenus a vera endemica diversam esse; qualitates has esse adventitias: quod si non ita esset, nullam existere inter hanc et endemicam diversitatem; nunc autem latissimè a semetipsis distare, neque adeò confundi oportere."

De febre Jamaicæ flava hic Lemprierius loquitur, de qua quidem certiora mihi in medium proferre licet, a viro intelligentissimo, qui in ipsis istis terris latifundia possidet, mihi petenti impertita. Ita verò ille:

"Narravêre multi e vectoribus classis Jamaicæ autumno anni 1794, redeuntis, maturè admodum febrem malignam illo anno insulam infestâsse, novam omninò specie, eaque a nautis navigii neutralis illuc allata existimabatur.

mabatur. Febris ista non inter milites tantùm, qui in littore stationes habebant, sed etiam in navibus publicis privatisque, funestas strages edebat. Maximam nautarum jacturam fecit *Worcesteræ* navis præfectus CRAIGIUS (*Craigie*), qui a Londini portu Sinum *Montego* petierat, multæque classis illius naves onerariæ nautarum supplementum, ut domum redire possent, ex navibus bellicis quærere opus habebant. Febrem flavam tantam cladem fecisse, pervulgata opinio erat. Narravêre porrò certi homines, qui a latifundio *The Green Park Estate* dicto, in longinquam insulæ partem pecorum emendorum causâ missi fuissent, febrem, suprà memorato modo regioni isti importatam, incolis ejus funestissimam accidisse. Haud ita multò pòst, omnes latifundii istius homines albi coloris, febre flavâ correptos, cum CUSTRINO medico periise. De hoc ultimo incertum quidem est, utrum ab his, an ab ægris, quos in portu visitâsset, morbum contraxerit."

Notissimum sibi esse hunc terræ tractum affirmat auctor noster, situmque esse ait ari-

dissimo

dissimo loco in parochia *Trelawney*, a littoris parte maximè septentrionali pauca passuum millia distantem. Aura illum marina frui, omnique tempore saluberrimum haberi. Vicinos, his funeribus territos, cavisse, ne sibi cum terris adjacentibus communicatio intercederet, hocque prudenti consilio effectum esse, ut post annum 1794, nemo in supradicto angulo febre flavâ perierit.

Huic subjungam aliam eadem de re notitiam, ab acutissimo viro, qui olim in eadem insula medicinam fecit, benevolè mecum communicatam. Dicit ille, "Veterem endemicam Hillarii, et cæterorum auctorum febrem flavam, omninò Jamaicæ, quum anno 1764 regionem illam viseret, evanuisse, neque ullum ejus intra viginti annos, quos ibi medicæ arti intentus degisset, vestigium apparuisse. Narravêre quidem, addit, antiquiores medici, hanc febrem ante quinquaginta annos ibi regnâsse. Quæ nunc sævit, novam incolæ febris speciem opinantur, neque tamen ex memoria omninò designare possunt, utrum vetus morbus a recentiori diversus sit, necne.

Symptomata

Symptomata utrique eadem esse, sunt qui affirment. Ego tamen veterem merè endemicam fuisse, hanc contagiosam esse autumo; neque objici potest, quod huic indigenæ et ex Europa advenis, qui diutiùs in ista regione versati fuerint, minùs obnoxii sint. Licèt in urbibus maritimis maximè frequens hæc febris sit, certis tamen temporibus universam pervagata est insulam, et intimos maximè tractus depopulata est."—Hæc ille.

Affirmavit mihi per literas Jamaicæ incola, vir prudentissimus idemque summæ fidei, Doctorem DRUMMOND, experientissimum *Westmorlandiæ* in ejusdem insula medicum, navem in portu *Savanna la Mar* ascendisse, ut nautas febre flavâ laborantes inviseret, ac vestes suas cum laneis (*flannel*) commutâsse; hasque, quum rediret, abjectas, arculæ inclusisse; quumque haud multò pòst domum, a Savanna la Mar duodecim millia passuum distantem, repetiisset, unam e filiabus laneam imprudenter manibus contrectâsse, indeque febre correptam duobus aut tribus diebus periisse; atque idem expertos esse fatum duos ejusdem

ejusdem domûs administros; neque dubitari posse, ex eodem hos quoque fonte malum contraxisse.

Febris hujusce in insula Dominica historiam expositurus, rei fidem ad auctorem CLERKIUM * (*Clerk*) relego.

"Sub decimum Junii diem anni 1793, intra trium circiter dierum spatium urbem *Rosoviam (Roſeau)*, quæ Dominicæ est, intravêre tres vel quatuor mille homines, ex Martinico fugitivi, qui popularium suorum persecutiones evitarent. Naviculis angustis avecti, tempestatem gravissimam, omniumque rerum ad vitam necessariarum inopiam, toleraverant. Ubi advenissent, nullâ laborabant ægritudine, neque insulæ Martinici incolæ in ipsorum discessu febrem flavam experti fuerant. Infelix ista hominum turba domos et vicos urbis impleverat, quum ecce! decimo quinto Junii die primùm in hac insula febris flava appareret, nautam quendam

 Anglum

---

* In libro, *A Treatise on the Yellow Fever, as it appeared in the Iſland of Dominica in the years* 1793, 1794, 1795, *and* 1796.

Anglum aggressa, qui jam quatuordecim dies Dominicæ commoratus fuisset, neque anteà Indias Occidentales adiisset. Ex hoc initio ingravescente, plurimi nautæ illarum navium, quæ tunc temporis in portu stabant, morbo tentabantur, idque paucos admodum post dies. Deinde febre afficiebantur, quorum suprà mentionem fecimus, Martinici exules. Computatio facta est, in hac civitate, inde a primo Julii die usque ad primum Octobris, octingentos exules et ducentos Anglos crudeli hoc morbo intercidisse. Neque quicquam remisit morbi istius diritas; sed omnes ex Europa advenas et novos istos exules, sine sexûs aut ætatis discrimine, confecit; donec tandem mense Octobri in mitius verteretur, et incipiente Novembri omninò cessaret. Hujus rei causa, a frigore, quod anni tempus adduxisset, indies aucto, repetebatur. Neque tamen diuturna ejus quies fuit. Quum enim post hebdomadam sextam, quàm morbus evanuisset, naves aliquot Americanæ adpulissent, tum demum videre licebat, ex corporum idoneorum, in quæ vitiatus aër ageret,

defectu,

defectu, magis quàm ex mutata cœli temperie, moram hanc brevem inductam fuisse. Haud enim multò pòst, omnes nautæ, qui tum primùm Indias Occidentales adierant, hac febre correpti sunt, et quamvis per menses, Decembrem anni 1793, Januarium et Februarium anni 1794, pauciores ei succumberent, quàm grassatione primâ factum esset; haud exiguus tamen numerus erat, qui ab ea absumeretur. Exinde usque in mensem Julium ejusdem anni rariores apparuêre febris impetus, et pars maxima ex illis, quos illa tentâsset, convaluit. Sequentibus etiam autumni mensibus, multò minùs funesta quàm priore anno indoles ejus erat.

" Post decimum Octobris diem anni 1794, altera, ex *Guadaloupa* insula migratio facta, urbem Rosoviam propè majori, quàm in Junio superioris anni, turbâ complevit. Inter hos non ante diem x. Novembris, febris flava exorta est, multòque pauciores, quàm priore anno, ex adfectis jugulavit. Post duos menses, quibus morbus redintegratus esset, ad usque Julium mensem anni 1795, planè quievit, et

et sequenti autumno non nisi paucos nautas adgressus est: exinde ad xij. Junii diem anni 1796, (quo tempore Dominicam reliquit auctor noster), ne unum quidem exemplum, quod febris præsentiam argueret, in notitiam venerat."

Ad febrem flavam Dominicæ insulæ pertinentia, hæc insuper ab intelligentissimo viro *, Indiarum Occidentalium indigena et urbis Rosoviæ incola, accepi.

Distare admodum affirmat symptomata novi hujusce morbi Biliosa ab illa Remittenti, quàm in insula eadem sæpissimè viderit; apparuisse præsertim in urbe Rosovia, et extrinsecùs, idque, ut ferebant, ex Grenada importatam; urbem Rosoviam semper salubrem existimatam fuisse; *Portsmouth* verò, quæ et ipsa est urbs maritima in Principis Ruperti sinù *(Prince Rupert's Bay)* posita, quæque propter insalubritatem minùs habitatur, et ad quam naves tantùm bellicæ appellunt, eadem proportione hoc morbo minùs tentatam fuisse; neque

* Dom. T. Daniell.

neque ulteriùs febrem quàm ad trium aut quatuor millium passuum ab urbe Rosovia distantiam evagatam esse ; occupâsse præsertim Europæ advenas, paucosque admodum ex indigenis ; ab indigenis rariùs in Francogallos, quì ibi sedem fixissent, impetum fecisse, quamvis inter exules ex Martinico et Guadaloupa insulis magnam stragem ederet : a nigris autem aut Mauris prorsùs abstinuisse. Addit auctor, seipsum, qui plerumque in Anglia vixisset, bis febre flavâ in Dominica tentatum fuisse, quumque ab incolis contagiosa haberetur, se ob hanc causam insulam, anno 1795, reliquisse.

Opinio similis de origine et indole febris flavæ in colonia *Demarara*, in *Guiana* posita, prævalet, ubi fœmina nigra ex cujusdam mihi noti domo hac febre periit.

Sequentem historiam febris flavæ, quæ, anno 1793, *Philadelphiæ* apparuit, RUSHIO acceptam fero. Sub ultimam Julii mensis partem et Augusti initium, *St Domingo* incolarum, intestinis turbis vexatorum, multitudo, quæ cædem et incendium evitâsset, Philadelphiam

phiam appulit. Die xxiv. Julii, coffææ corruptæ acervus, juxta portum expositus, maximè putridus factus fuerat. E RUSHII libro haud constat, unde venerit iste coffæa; dicit autem, febrem flavam primùm a nautis navis (quæ haud dubie eadem est, quæ coffæam advexerat) derivandam esse, qui primùm tetris coffææ exhalationibus obnoxii fuissent, quique die xxiv. Julii malè se habere cœpissent. Constat, febrem istam die xxvij. ejusdem mensis inter incolas primùm sese exeruisse. Exinde majores vires indies nacta, extendit sese ad medium ferè Octobrem, quo intra quinque dierum spatium, homines quingenti viginti novem mortui sunt. Post diem xiij. ejusdem mensis remitti cœpit, et per Decembrem omninò cessavit. Quatuor millia quadraginta novem homines, hoc morbo, intra primum Augusti et nonum Novembris diem, periisse ferunt. Eodem autumno similis febris multos alios Americæ tractûs, imprimis maritimas, urbes infestavit.

Philadelphiæ ex coffææ putridæ exhalationibus quæ in homines longa siccæ et aridæ

dæ tempestatis serie ad vim suam accipiendam prædispositos agerent, originem duxisse censet RUSHIUS; nihilo tamen minùs idem morbum, semel generatum, contagiosum factum esse judicat. De iis loquens, quos primos aggressa fuit febris, a tribus horum evidenter contagione morbum propagatum fuisse; ab uno autem cum universa familia communicatum statuit *. Addit, adhæsisse contagionem ad quasvis vestes, et ab his ulteriùs propagatum fuisse †.

Incipiente mense Junio, secundum eundem auctorem, febris flava iterum Philadelphiæ apparuit, et per hiemem et ver sequens leniter perstitit: tertiùm denique, per æstatem et hiemem anni 1795. Præter pauca hæc a RUSHIO commemorata, nullam accuratiorem habemus progressûs per hunc annum historiam. Naturæ contagiosæ semper idem illam arguit, quàm primùm mense Septembri, anno

---

* Vol. iii. p. 157.

† Vol. iii. p. 107.

no 1794, apparuisse dicit*; quamvis morbi illius anni redintegrationem, cloacarum quæ in vicis sunt sordibus, et aquis stagnantibus quæ in urbis vicinia sunt, attribuat.

Opusculum† de hoc morbo in lucem dedit Medicorum, quod Philadelphiæ est, Collegium, in quo multùm laboravêre auctores, ut originem et naturam morbi constituerent; unde ea adponere juvat, quibus febrem naturæ contagiosæ esse probare conati sunt.

Mensibus Junio et Julio anni 1798, Philadelphiæ portum intravêre viginti septem naves, ex portubus diversis insulæ *St Domingo*, quæ copiis Britannicis instructa fuerat, in quibus tunc temporis febris flava magnam stragem edebat, venientes. Ex his sex aut septem naves cum vectoribus multis die v. Julii ad munitiones accessêre, ibique homines in navibus viginti dies mansêre; posteà, urbem

* Vol. iv. p. 855. et seq.

† Titulum habet: *Facts and Observations relative to the nature and origin of the Pestilential Fever, which prevailed in the city of Philadelphia in* 1793, 1797 *and* 1798.

bem intrantes, in portu ferè inter vicos *Walnut* et *Spruce* dictos habitavêre. Compertum est, hîc primùm, sub Julii finem et Augusti initium, morbum apparuisse. Sub viij. Julii, navis armata *Deborah*, portum, a *St Domingo* solvens appulit. Hanc navem conduxerat res Britannorum publica. Quæ ubi a *Jeremia*, die xxiv. Junii, solvisset, in itinere septem hominibus febre absumtis, et sex ægrotis in nosocomium marinum delatis, Philadelphiam accessit. Sub xvij. Julii diem, in navigio Deboram adiisse fertur ALEXANDER PHILIPPS, et secum, quum rediret, duos aut tres in terram duxisse, unumque ex his in domo sua, quæ in vico *Water* posita esset, recepisse. Hic quidem ultimus in memorato loco periit, secumque simul haud multò pòst ipsum PHILIPPS abstulit. Die xxviij. Julii, navis, reparatura se, *Kensingtonum* adiit. Primùm in hoc loco, die xxix. Julii, febris JOSEPHUM STREETONUM, qui navem Deborah tunc in urbe jacentem die xxi. Julii conscenderat, adorta est; posteà JACOBUM PORTER, qui in domo illi proxima commorabatur, die i. Augusti;

gusti; tum eodem mense alios benè multos, qui aut in nave operarii, aut vicini fuissent; in his Doctorem DE BENNEVILLE, et tres alios deinceps familiæ suæ, à v. ad xix. mensis Augusti. Multa alia extant exempla, quæ comprobant, morbum plures ejusdem familiæ aggressum esse. Ex septem pueris urbis *Chester*, qui amici videndi causâ Deboram conscenderant, et circiter horam ibi versati fuerant, post duos aut tres dies, sex febre, quam flavam esse persuasum sibi habebant, tentabantur; e quibus quinque intra decem dierum spatium mortui sunt. Atque huic quidem causæ Collegium istud, febris flavæ cum urbe Chester communicationem adscribit; simili cum urbibus *Wilmington* et *Marco Hook*.

In eodem libro dicitur navis (*schooner*) *Swift* Philadelphiæ, ex urbe St Domingo die xxviij. Octobris solvisse, et v. Novembri insulam *Porto Rico* appulsam, in primo portûs aditu, longè ab aliis navibus, anchoram jecisse. Haud multò ante navigationem a St Domingo susceptam, navis ista ex antiqua navi Gallica prædatoria (*privateer*) multùm in se velorum

ac

ac funium, tum bombardas atque armorum copiam, receperat. Nautæ quidem inde ab xi. Martii die, quo Philadelphiam reliquerant, usque ad appulsum ad Porto Rico, bonam valetudinem experti fuerant; nisi quod duo morbis venereis laborarent; dumque Porto Rico commorarentur, et portus et urbs incolumi statu guadebant: neque tamen multum commercii nautis erat cum incolis, cæterisque navibus, quæ in portu stabant. Secundo tamen post hunc appulsum die, duo e nautis febre tentabantur; posteà præfectus, et maxima deinceps pars nautarum. Brevi periêre duo primi proximè memorati nautæ, et alius quidam, qui in eadem nave Americam repeteret. Præfectus, qui statim in terram exponebatur, diligenterque curabatur, ægrè valetudinem recepit, (p. 29, 30).

Memorat ANDERSON * in dissertatione sua, se in insula *Montserrat*, ubi munere chirurgi in

---

* Titulum habet: *A few Facts and Observations on the Yellow Fever of the West Indies, by* JAMES ANDERSON.

in sexagesima Legione peditatus Britannici fungebatur, anno 1793, nocte decurionem quendam (*Corporal*) BENSON visisse, quem miserè cum febre quadam conflictantem invenerit. Constabat, hunc hominem ante duos dies per dimidium horæ spatium navis cujusdam prædatoriæ nautam, simili febre laborantem, interque manus benevoli hujus militis exspirantem, adjuvâsse: unde idem fatum BENSON ille quarto morbi die expertus est. Sequente die, ex decurionis sociis, qui erga eum decumbentem maximam curam exhibuissent, duo eodem more affligebantur. Ex hoc tempore quovis die duo aut tres militum, qui in casis militaribus essent, omnibus febris symptomatibus tentati sunt, adeò quidem, ut vix unus morbum evitaret, et septima ferè pars succumberet. Magna nautarum pars navis supradictæ onerariæ, in commoratione apud insulam, periit.

Ulteriùs ex hoc auctore intelligimus, mense Julio anni 1796, sexagesimæ Legionis partem, duces, et alios chronicis morbis laborantes, ab insula *Tobago*, *Tortolam* insulam parvis

parvis navigiis petiisse, ubi cum auctore nostro navem *Fanny* (*transport*), Angliam repetituri conscenderant; tum Tortolam, die xxviij. reliquisse, et unà cum classe sub *Hebes*, liburnæ navis (*frigate*), quæ in se decem duces et prope centum homines, diversi sexûs et ætatis, contineret, præsidio navigâsse. Quoúsque apud Tortolam commorarentur, febris flava in multis navibus existebat, quæ a Grenada venissent, istæque duces nonnullos, qui in littus exierant, amiserunt. Subcenturio (*Lieutenant*) A., navis *Fanny* vector, plerumque per diem terram adire consueverat, quumque sub sole meridiano ambulando plus solito defatigatus esset, et post prandium, quod in taberna cum aliis ducibus sumserat, in nave oneraria, quæ in portu stabat, noctu dormisset; die sequenti, audit ducem quendam, quocum die superiore prandisset, mortuum esse. Existebat quidem, isto tempore, nullus acutus morbus in nave oneraria; sed quum biduum post suprà memorati ducis mortem navigâssent, adversam valetudinem experiri cœpit Subcenturio A., quintoque die,

die, post nigrum vomitum cæteraque dirissimæ hujus febris speciei symptomata, animam exspiravit. Ex hac periodo, nullus, per hebdomadis spatium, morbo affectus erat. Haud multò pòst, exoriente malaciâ, (quæ circiter quatuordecim dies, cum calore intenso, intra latit. grad. 27°,—30°, duravit), homo quidam, qui proximam illi navis partem tenebat, quà aëris fruendi causâ A. habitaverat, ac mortuus erat, eâdem febre corripiebatur; nec multò pòst huic proximus, et sequenti die duo huic proximi. Hoc modo distendit sese morbus, donec cum tota communicaretur navi, seque septuagenis hominibus insinuaret. Dicit ANDERSON, plures ejusdem classis naves sub hoc tempus eâdem laborâsse febre; multos porrò, præsertim in *Hebe* ista, periisse *.

Edinburgi lucem adspexit febris historia, quæ nautas navis onerariæ Indiæ Orientalis (*East Indiaman*) *Busbridge*, infestavit; quæ a febre nostra flava minore tantùm symptomatum

* ANDERS. suprà citat.

matum violentiâ differre videtur. BRYCE, auctor illius, chirurgus istius navis, hanc ex Anglia die xv. Aprilis, anni 1792, solvisse; æquatorem die xxvi. Maii transisse, et postquam mercurius dies aliquot a grad. 80° ad 86ᵐ therm. FAHR. motus esset, cum imbribus frequentissimis et gravissimis, primùm hunc morbum apparuisse, commemorat. Inde ab initio tempestatem, per multas hebdomadas, cum leni admodum vento, torridissimam fuisse; ubi autem in Promontorii Bonæ Spei (*Cape of Good Hope*) conspectum venissent, tunc aquilonem violentum per decem dies ex littorali plaga exortum, non tantùm, ut nautæ in terram exponerentur, impedivisse, sed navem etiam ad gradum 42ᵐ latitudinis australis detulisse. Atque hoc tempore ad 45° descendit mercurius. Sequuti sunt quatuor aut quinque dies humidi ac nebulosi. Navem deinceps septentrionem versus cursum tulisse auctor memorat, idque cum ventis acrioribus et temperatura media, donec Ceylon insulam attingeret, ubi, exortâ malaciâ, iisdem, quibus anteà, expositi fuêre

caloribus.

caloribus. Sub his regionis et temperaturæ mutationibus, per duodecim hebdomadas, nulla morbi immutatio observabatur, nisi quod lenior sub frigidiore tempestate existeret; eodemque modo continuavit, donec ferè omnes nautas ac vectores, qui ferè numerum ducentesimum sexagesimum quartum explerent, afficeret. Per hoc tempus maxima in admittendo aëre purificandaque nave cura adhibebatur, adeò quidem, ut ab hac navi neque cum cæteris, quibuscum ei commercium esset, neque cum novis vectoribus, qui brevi pòst in illa inde a *Madras* ad *Bengala* tenderent, contagio communicaretur.

In tertia eximii BLANIANI operis editione, hancce rem memoratu dignam maximique momenti habemus; nimirùm, die xvi. Maii anno 1795, duas armatas Gallicas naves a *Thetide* et *Hussare*, liburnis, in Americæ littore, quo ex *Guadaloupa* venissent, captas fuisse. In altera harum erat febris flava, et ex quatuordecim hominibus, qui ex Hussare, curandæ ejus causâ, ad eam missi fuissent, istâ febre periêre novem; antequam diem

xxviij.

xxviij. ejusdem mensis ad *Hallifax* accederent, cæteri quinque, eodem morbo laborantes, in nosocomio deponebantur. Pars captivorum navi *Hussar* inferebatur; et quamvis maxima in sanissimis quibusque eligendis cura adhiberetur, celerrimè tamen sese morbus per istam navem extendit, ut prope tertia pars plùs minùsve afficeretur. Quod quidem factum veræ contagionis existentiam magis, quàm spissam argumentorum congestam copiam, evincere jure addit hic auctor (p. 606, 607).

Sequentia tradit septimum *Diarii medici et physici Londinensis* volumen, de febre flava quæ mense Augusto anni 1800, *Gadibus* exorta est: Eurum nempè vehementer perflâsse, et, quum regionis tractum præteriisset æstuantem, calorem jam excessivum valdè auxisse; unde evenit aëra (nequaquam pro ægritudinis causa habendum) ægritudini accipiendæ aptissimum factum fuisse. De aëris viribus, pergit auctor historiæ, eotenus infelix et falsa inter plures qui Gadibus erant medicos convaluit opinio, ut non nisi remediis

maximè nocivis uterentur, et morbum inde redderent lethaliorem.

Die viij. Augusti, Gadum appulit portum navis quædam Americana, in qua tres, inter navigandum, febri flavæ succubuissent, et reliqui omnes, præter unum nautam, postquam vicos littori vicinos et tabernas vinarias intrâssent, morbo perierunt. Post haud ita multum tempus, incolas urbis grassata est febris, neque una domus pestem evasit. Undique terror. Ex incolis multi quos latebat corporibus jam inhærere lethalem virum, *Insulam de Leon* et septem alia confugêre loca, et cum incolis citissimam infectionem communicaverunt. Novem hæcce loca tantùm febre tentabantur, neque ad Estremaduram usque pervenit. A die Augusti xii° ad Novembris 1^m^, morbo funesto perierunt septuaginta novem millia et quingenti homines. Restat adjiciendum urbes gentium vicinarum maritimas, eodemque sub cœlo positas hac peste omninò fuisse immunes.

Superiora confirmavit Dom. Pat. Yznardi, (Consulis Americani filius), cui plures amici-

tiâ,

tiâ, plures consanguinitate sibi vinctos, eripuit febris. In Gades, per navem quæ ex Havanna appulisset importatam fuisse affirmat; et Havannæ procuratorem, in nave ista vectorem, jussu magistratuum, in vincula conjectum fuisse, qui febris apud navem existentiam celâsset; nonnullos porrò e medicis graviter increpitos et reprehensos fuisse, qui de natura morbi contagiosa populares in errorem duxissent.

Omnes Americæ urbes maritimas, narrat Patterson, in eodem loco, anni 1800 febre fuisse immunes præter *Norfolk*, *Baltimore*, et *Providence*, quarum prior Philadelphia versus meridiem 400 millia passuum, posterior 291 millia passuum versus Boream Scythicum distat: Anno 1801 omnes evasisse præter *Norfolk* et *New York*, quarum posterior in parte tantùm tentabatur.

In eodem *Diario* (N. 55. p. 266.) brevis extat febris flavæ historia, quæ mensibus Augusti, Septembris, et Octobris, anni 1801, *Norfolkii* sæviit. Narrant auctores, admodum fuisse frigidum illius anni ver, neque ante

xxv.

xxv. Junii quandam a calore profectam fuisse molestiam, quum frequentes decidissent imbres, et cœlum opertum fuisset. Therm. Fahr. variatio à 70° ad 87° fuisset, quem calidissimâ diei parte ante mensis Junii sex ultimos dies nunquam superaverat. Exinde ad Julium inceptum serenissima et calidissima tempestas; neque ex hac aëris conditione quiddam accepit damni incolarum bona valetudo, neque exinde morbi qui populariter grassabantur nova incrementa duxêre. Talis ferè tempestatis conditio ad xxiij. Augusti perstitit.

Toto Augusti mense, et præsertim post diem vigesimum tertium, febrem flavam sporadicè grassari vulgata erat fama; quum autem naves et nosocomium marinum tantùm infestâsset, neque sibi Epidemici nomen vindicavit, neque incolis terrorem injecit. Primo Septembris, tempestas præter modum calida facta, tranquilla et serena est. Per undecim dies, ne quidem levissima nebula sese radiis solis æstuantibus obtendit. Dehinc magis atque magis violenter æstuavit. Mercurius

curius thermometri, in via aëri benè obnoxia suspensi, ped. 11 supra vicum, et ped. 12 ab ostio versus meridiem posito distantis, in urbis parte benè ventilata, 94^{m} sæpè referebat gradum, et rarò 90° inferiorem, diei parte calidissimâ, a primo inde ad undecimum Septembris.

Septimo ferè aut nono mensis die, adeò frequentes facti sunt febris flavæ impetus, ut meritò epidemica habita animum publicum sibi affixerit. Sub decimum et undecimum, maximè auxit ægrotantium numerus. Post meridiem ultimi hujusce diei, therm. Fahr. ad 71^{m} descendit gradum; et qui ab initio mensis perflâsset Libs in Cæciam mutatus est, cum cœlo obducto et imbribus non infrequentibus. Nulla exinde mora aut impedimentum malo. Adeò, contrà, magis violenter sæviit ab 11° ad 15^{m} mensis, ut vehementer convaluerit opinio, morbum tam rapidè ingravescentem subitis tempestatis mutationibus quodam modo deberi, quas, tamen, hactenus, confirmandæ valetudini favere opinio concepta fuisset.

Febri

Febri flavæ propagandæ, favebant etiam aliæ causæ, præter eas quæ ab aëre et situ Norfolkii derivandæ videntur. Lucri majoris causâ, quod sibi comparant in Anglia quàm aliunde merces Americanæ, illic æstate appulissent quæcunque navigia itineri idonea; unde evenit, mensibus Julii et Augusti, in portu ferè nullam navem, et nautas admodum paucos esse. Ante inchoatam tempestatem Septembris calidam, plurimæ tamen in dies singulos rediissent naves, cum vectoribus multis. Ex his paucissimos qui in urbe manebant corripuit morbus. Sed postquam calorem mensis vix tolerabilem experti essent, ægrotavêre multi; et, quum, rerum inopes, plerumque malè habitarent, malè curarentur, complures morbo succubuerunt. Undecimo mensis die Africo in Caeciam verso, innumeris ferè intus itum est navibus, adeò ut, sub 15^{m} navium plenissimus esset portus, potissimùm ab Europa appulsarum. Febris deinceps labes velocior et major malignitas.

Maxima, visa est, sub vigesimum Septembris, febris frequentia, et maxima malignitas; sed

sed violentiâ parùm refractâ, ad usque finem mensis perstitit; neque impetus frequentiam minuit, neque cursum aut severitatem symptomatûm adeò multùm deflexit frigidior tempestas quæ sub 27^{m} mensis supervenit. Octobris mense gradatim resedit, et primo Novembris die ferè nullum morbi vestigium superstes erat.

Historiam tradidit Dr GUL. CURRIE * febris flavæ quæ Philadelphiam invasit, æstate et autumno anni 1802. Minùs late quàm in superioribus annis dominâsse affirmat, certissimum, porrò, esse, cum Philadelphia hoc anno a nave communicatam fuisse cui titulus *The St Domingo Packet*, quæ mense Junio, postquam valetudinarium attigisset, urbem appulit, et 28° mensis anchoram jecit prope portum septentrionalem. In hac nave, dum apud promontorium *Cape François* commoraretur,

---

* *Facts and Observations relative to the Origin, Progress and Nature of the Fever which prevailed in certain parts of the City and District of Philadelphia in the Summer and Autumn* 1802.

retur, duo mortui sunt nautæ et iterum duo post appulsum flumen *Delaware.* In initio paucos tantùm adorta est febris, quippe qui aut in nave aut in navis vicinia negotia egissent; atque adeò omnes qui per hebdomadas duas primas corripiebantur, quoddam cum ægrotis habuisse commercium satis exploratum habemus. Lentus erat morbi progressus, nec anginæ malignæ absimilis, aliorumque morborum quorum naturam contagiosam ne quispiam in dubio ponat. Ante appulsam navem, ne minimum morbi extitisse vestigium, res observatu satis est digna.

Primo adhuc impetu cives periculum monuit Consilium sanitati tuendæ præfectum, unde evenit incolarum partem maximam a vicinia loci ubi sese exeruisset malum, rus confugisse. Infeliciter cum aliis urbis partibus labem communicaverant nonnulli ex iis qui ægrotos visissent, ante initum a magistratibus concilium istud salutiferum; unde novæ et frequentiores morbi tentationes. Ex altera parte effecit incolarum fuga, et aëris frigiditas crebro tonitru et miris pluviæ imbribus

bus orta, ut, inde à iv. Julii, quo primùm apparuerit, ad usque i. Novembris, quo, post noctes frigidas, omninò cessaverit morbus, febre tentarentur haud ampliùs 584, quorum periêre 298.

Ex suprà dictis satis apparet, morbum hocce anno, pro ægrotantium numero, non minùs fuisse lethalem ac in superioribus annis, præter annum 1798; neque tonitru ingens, neque tantos imbres, neque exinde per reliquum annum derivatam aëris frigiditatem, neque liberum aëris accessum, quidquam profecisse ad dirimendum periculum.

Ex eodem auctore discimus, a Philadelphia cum urbibus *Wilmington* et *Lamberton* communicatam fuisse febrem; porrò, in urbe *Baltimore*, sub undecimum mensis Julii, exortam esse, brevi post appulsam a Promontorio *François* navem (cui titulus *the Warren*) febre hacce inquinatam. Ex hujusce navis militibus classicariis duo, post castellum appulsum, morbo succubuêre, et iterum duo febre ægrotantes in nosocomio deponebantur. *Baltimorii*, ab Augusti vigesimo primo ad

Octobris primum, febre flavâ periêre ad 205 homines. Tempestas (ut et Philadelphiæ) ea fuisset quam idem tempus anni, sub tropicis cœlis, ferè semper secum ducit. Frequentes enim pluviarum incursus et violentum tonitru, ad usque Septembris finem perstitissent. Exin tempestas magis tranquilla et magis sibi constans erat *.

Symptomata

---

* De morbo præteriti anni (1803) nondum ad manus accessit adeò exacta vel ampla notitia, ut aliter quàm obiter in hoc loco, memorare consentaneum ducam. Lethalem admodum fuisse ex catalogo mortuorum apud *New York*, (quem mecum benevolè communicavit non magis scientiâ quàm virtutibus insignis HAYGARTH), satis in aperto est videre. A xxix. Julii ad xxx. Octobris febre correptos fuisse 1639; occubuisse constat, homines 610, (e quibus viri 375, fœminæ erant 235); et in urbe et vicinia junctim sumptis, 780. Ab omnibus concessum esse videtur, Philadelphiæ morbum impertisse, Novi Eboraci incolas qui urbem adierint, etiamsi multæ leges latæ fuissent ad intercludendam mutuam inter urbes communicationem. Similiter apud *Wilmington*, post morbum Philadelphiæ exortum, interdicta est communicatio inter has urbes. Hæc decreta tot et

Symptomata febris flavæ, a LINING relata, tantam cum novi nostri morbi symptomatibus similitudinem habent, ut planè unum eundemque morbum statuere liceat. Ex hoc auctore discimus, quinquies, annorum viginti quinque spatio, febrem flavam in *Charlestown, South Carolina*, autumnis nimirùm annorum 1732, 1739, 1745, et 1748, epidemicam fuisse. Hunc morbum, inquit idem, verè contagiosum fuisse, non solùm exinde cognoscere licet, quod isto omnes ferè perierint, qui in ægris sublevandis occuparentur. Omninò morbus iste omnes advenas, qui illo nondum laborâssent, tum ruricolas, urbem ingressos, infestabat: ruri contra degentes semelque tentatos præteribat, quamvis hi urbem intrarent, et ægrotos in omnibus morbi stadiis viserent, atque ipsis adeò hominum hoc morbo mortuorum

---

et tantorum virorum externæ originis, et itaque contagiosæ morbi naturæ, opinionem præ reliquis argumentis sancire, vix opus est ut lectorem moneam. Ad hanc rem vide nuncium publicum Americanum qui *New York Evening Post* audit, (Sept. 15. 1803); quem, beneficiis ill. HAYGARTH, ad manus habeo.

mortuorum funeribus adessent. Postremum morbum ab iis, qui quovis tempore ex Indiarum Occidentalium insulis, in quibus epidemica esset, adventarent, derivatum esse idem tradit, (p. 372, 373.)

E suprà dictis constat, alios hujus morbi tentationibus alio modo affici. Lining Æthiopes semel tantùm illo infestari posse existimabat, quod et alii opinati sunt. Contrarium tamen omnis experientia comprobatum dedit: cujus quidem rei exempla, superiùs jam adposuimus.

Chisholmius sequentem scalam prædispositionis, in insula Grenada, descripsit:

i. *Nautæ*, præsertim juvenes, et robustiores huic præ aliis obnoxii sunt.

ii. *Milites.*

iii. *Europæ incolæ* albi, præsertim juvenes.

iv. *Alii albi*, præsertim ex plebe, et adversâ valetudine jam debilitati.

v. *Fœminæ albæ.*

vi. *Colorati* (*people of colour*, h. e. Mauri diversorum graduum), a *Mustees* sic dictis ad *Cabres*.

vii. *Æthiopes*,

VII. *Æthiopes*, præsertim nautæ et bajuli.

VIII. *Æthiopes fœminæ*, presertim domesticæ.

IX. *Infantes*, præsertim colorati.

Inter hos omnes febris illos præcipuè tentavit, qui regioni minùs assueti essent, ac intemperantiùs vixissent. Quum ex *nautis* et *militibus* unusquisque ferè succumberet; ex *albis*, iisdem sub conditionibus, duo ex tribus, ex *Æthiopibus* et *coloratis* unus e quatuor febre corripiebantur, (p. 100,—102.)

Affirmat BLANE, Æthiopes a febre nequaquam immunes esse. RUSHIUS quoque initio credidit, illam cum Æthiopibus communicari non posse, ideóque auctor fuit, ut hisce Philadelphiæ ad ægrorum ministeria obeunda uterentur. Sed, quum Societas Africana illos suppeditâsset, post tempus haud ita longum experientia erroneam hanc opinionem evertit, quum benevoli hi servi pariter cum albis isto morbo tentarentur, ac plures morerentur *.

Rei notatu dignæ meminit CLERK, paucos admodum Europæos advenas, aut qui ex aliis insulis

* Vol. iii. p. 95.–97.

insulis migrâssent, morbum evitâsse. Idem affirmat, non tantùm coloratos ex aliis Indiarum Occidentalium insulis, sed Æthiopas quoque ex Africa recèns importatos, hac febre tentatos fuisse; novisse se viginti juvenum Æthiopum validorum globum (quem Angli *a lot* vocant), qui omnes eodem tempore correpti fuerint, et quorum tertia pars occubuerit; Æthiopas, longum tempus in insula commoratos, morbum evitasse: unum tantùm in contrarium se Æthiopis exemplum, qui maximè in itinere defatigatus, multúmque soli expositus fuisset, comperisse (p. 2, 3.). In hoc ferè omnes consentiunt auctores, albos insularum Indiarum Occidentalium incolas, vel indigenas vel aliunde advectos, multò minùs febri flavæ obnoxios fuisse quàm Europæos. Constat etiam, urbes prope mare aut flumina navigabilia, æstubus impulsa positas, maximè hoc morbo infestatas esse: et, si is nonnunquam rus aberrâsset, tunc ferè leniorem fuisse, et vix ultra primum sævitiam suam extendisse.

Atque,

Atque, in generali hac de febre flava historia, quantùm potui ac mihi licuit, factorum auctoritatem exposui. Quod veritatem enarratæ rei attinet, hîc, ut ubique, ubi ex aliorum relatione aliquid derivatur, rerum probabilitati et narrantium integritati fides habenda est.

DE CAUSIS MORBI.

ADDUCTIS in conspectum, quæcunque de historia morbi generali colligere licuit, jam, ut ad causas explicandas progrediar, ipsa res postulat.

Quæstio de origine morbi nequaquam nova haberi debet; quandoquidem illam jam ante LINDII opus *, circiter annum 1770 editum, medicos exercuisse, et in varias sententias traxisse,

* *Essay on the most effectual Means of preserving the Health of Seamen, and on Fevers and Infection.*

xisse, constat. Hic auctor quidem, febrem flavam, in Jamaica universè ferè haud contagiosam creditam esse dicit: Lining contrà, naturam ejus in America contagiosam prædicantem adducit, additque, ut opinionem istam confirmet, "Paucos ante annos hominis apud Barbadoes, febre flavâ mortui, vestes ac lintea amicis Philadelphiam missa fuisse, ibique, arcâ tantùm, in qua asservarentur, apertâ, omnem familiam febre affectam fuisse: vestes etiam, imprudenter in aëre suspensas, cum toto oppido febris flavæ contagionem communicâsse. Quin ei ipsi eadem damna multa attulit, qui Lindio narrationis hujus auctor fuit, ac ducentos illa mortuos fuisse prodidit *."

Age verò jam paulo accuratiùs in argumenta inquiramus, quæ utrimque vel ad stabiliendam naturæ febris flavæ contagiosæ opinionem, vel ad convellendam eam existunt.

Qui contagiosæ febrem naturæ esse negant, contendunt,

1*mùm*,

* Pag. 292, 293. ed. anni 1774.

imùm, Morbum omninò huic, quem descripsimus, qualitate et ordine symptomatum similem, variis temporibus, diversis terrarum orbis partibus, apparuisse; neque unquam contagionis suspicionem injecisse. Hoc asserunt HILLARY, LIND, ROUPPE, RUSH, BLANE, CLERK, JACKSON, et alii. HILLARY, febrem flavam insulis Indiarum Occidentalium, et Americæ Continentis isti parti indigenam esse judicat, quæ *in tropicis* aut *prope has* jaceat, et probabiliter omnibus intra zonam torridam regionibus (p. 144.).

RUSHIUS, multos Americæ Septentrionalis tractus, anno 1793, hoc morbo tentatos fuisse memorat, in quibus nulla morbi ex Philadelphia aut aliunde importati suspicio esset*. Etiam a LINDIO affirmatur, veram febrem flavam mensibus Septembri et Octobri anno 1764, Gadibus (*Cadiz*) apparuisse, et sæpiùs uno die centum homines periisse. Auctores hi productionem talium epidemicorum, variarum causarum actioni attribuunt, in quibus

* RUSH. vol. iii. p. 151.

præsertim referenda miasmata, ex rebus humidis vegetabilibus sub putrefactione aut quavis resolutione nascentia. Præcipuos horum miasmatum fontes, censent aquas, in navium penetralibus, paludibus et fluminum littoribus, æstubus impulsorum, contentas. Aqua, quæ in navium penetralibus est, marina est, quam quidem immensam vivorum animalculorum multitudinem continere compertum est, varios præter sales et mucilagines plùs minùsve putridas: tum, stagnatione, plerumque fœtorem emittit molestissimum. Qui idem molestior accidit, si stagnatio in ligneis vasibus existat, unde illa succos vegetabiles, qui fermentandi vim habent, exhaurire, eosque deinceps cum putrida sua fermentatione affatim imbuere solet. Blane multos casus refert de febribus nostræ similibus, aquâ tali navium stagnante excitatis, præsertim si aliis substantiis animalibus inter putrescendum mixta fuerit. Opinionis hujus argumentum idem arcessit a navi *Ville de Paris* dicta, a Rodney, Britanno, a Francogallis in Indiis Occidentalibus, die xij. Aprilis 1782, capta, in qua multæ cadaverum partes

partes nautæque, in prælio ante aliquot dies gesto occisi, in penetrali computruerant *. Hoc idem nautis navis bellicæ *Aimable*, quæ itidem Francogallis erepta fuerat, accidit; quum Anglicæ contrà naves, quæ puræ haberentur, a tali morbo immunes essent.

Rush, Philadelphiæ febrem anni 1793, putridæ coffææ, ex Domingo importatæ, effluviis attribuit, quæ in portu ad istam urbem explicita erat; et affirmat Philadelphiæ cives, primùm ista febre tentatos, aut in navibus fuisse, quæ coffæam advexissent, aut certè effluviis ejus maximè expositos fuisse †. Febrem,

* Blane, *Diseas. of Seamen*, p. 109–113.

† Quod hanc rem attinet, et reliquam historiam originis et progressûs febris flavæ, conferre licet, nuncium publicum Americanum quem in superioribus scripti partibus commemoravi (*New York Evening Post*, No. 573, 574, 575, 578, et seq.). De hoc fonte multa mihi sumere licuisset, quæ domesticæ originis opinionem optimè refellunt et coarguunt, at infelices et funestæ res obstitere ne satis temporè acceperim, ut in meos usus argumenta inde ducta collocarem. Quæ de *hac* opinione Rushii annotavit Haygarth, hîc, ut consentaneum est, lubenter appono: "A physician (ait) of eminent abilities, in an evil hour, most unfortunately

brem, quæ, ut suprà memoravi, anno 1794, in eadem urbe sæviit, idem cloacarum et aquarum

unfortunately ascribed the generation of this pestilence, with which America was afflicted in 1793, to putrid coffee, without any proof, or the slightest probability." Et deinde (p. 150) addit, "Previous to the accusation of the coffee as the cause of the pestilence in 1793, no medical author, as far as I can recollect, has ever ascribed to vegetables, in such a situation, a power to generate an infectious fever, or any fever, or indeed any other disorder whatsoever. In similar circumstances, thousands of people have breathed the air near putrid vegetables in an incomparably higher degree by both sea and land, without receiving the slightest injury." Hæc HAYGARTHII decreta ulteriùs confirmant quæ narrat historiæ modò laudatæ auctor. "Rem, (ait,) esse, longâ et universâ experientiâ confirmatam, in coffææ plantariis, sub messis tempora, ubi ex coffæa in omni fermentationis stadio fœtor vix tolerabilis exoritur, incolas ne minimo quidem gradu morbis exinde affici."

Ex hoc auctore, ut et ex multis aliis colligimus, omninò neglexisse RUSHIUM occasionem veri eruendi, prejudicatâ opinione nimis occupatum. Alii, enim, multi testantur, ægros symptomatibus febris flavæ manifestò laborantes, iterum atque iterum e navibus ab insulis Indiarum Occidentalium appulsis, in littus devectos fuisse, et perplurimos ibi morbo succubuisse.

aquarum stagnantium effluviis attribuit, quæ in urbis vicinia essent *.

Hujusmodi argumentis causam expediunt nonnulli, cur febris flava nautas tantùm, præsertim si in portubus commorentur, et portuum, qui plerumque in fluminum ostiis sunt, accolas infestet, ab interioribus autem continentis partibus, aut insulis majoribus, ferè abstineat.

Inde quoque novum pro hac morbi origine argumentum peti posse existimem, quandoquidem omnes uno ferè ore confiteantur, febres intermittentes in regionibus nostris frigidioribus ex miasmatibus palustribus, tum remittentes regionum tropicarum eadem ex causa originem ducere. Omninò nullum criterium esse videtur, quo morbum nostrum ab endemico communi bilioso remittente regionum calidarum dignoscere liceat. Hoc admittit JACKSON; hoc probare conatur RUSH †, et quamvis a quibusdam negetur, parùm tamen

---

* RUSH. vol. iv. p. 63.

† Vol. iv. p. 68.

men firma illorum argumenta deprehendes, aut omninò a symptomatum violentia aut originis differentia derivata. Constat autem, morbi naturam ab ejus symptomatibus esse dijudicandam, neque ad causam remotam esse referendam; neque inter logicos ampliùs dubitatur, majus et minus non variare speciem.

Ex altera tamen parte quæri potest, unde eveniat, ut morbus, qui ex causa aërem universum afficiente pendeat, tam raro occurrat; et, si ex vegetabilium putridorum effluviis oriatur, cur in aridis potissimùm ac salubribus locis, in quibus etiam biliosa febris remittens communis fèrè ignota sit, reperiatur? De re priore nihil ampliùs addendum existimo; posterius mirè illustrat, quod suprà de Dominica retuli, ubi, secundum CLARK et DANIELL, magnam morbus in urbe *Roseau* stragem edidit, idemque eodem tempore viciniam sinus *Prince Rupert*, insalubrem habitam, intactam transmisit.

Idem illustrant quæ suprà retuli de febre flava Americana annorum 1800 et 1801, de qua ita PATERSON: "Abundè probant superiùs allata,

allata, et quæ prioribus annis observata, et ab omnibus concessa fuêre, transmisisse nempè febrem loca maximè paludibus obsita, insaluberrima habita et ab urbibus mari propioribus remota, etiam in regionibus meridionalibus, ubi maximè abundant remotæ aut efficientes febrium biliosarum et remittentium causæ: abundè, inquio, testantur ab iisdem causis neutiquam derivari posse, febrem flavam, neque sinunt epidemica aut pestilentiali aëris conditione, originem suam explicare."

Inter omnes ferè auctores constat, paludum exhalationes, quamvis in ipsarum vicinia hæc febris occurrat, ad eam tamen producendam neutiquam necessarias esse *. Ex ANDERSONO jam memoravi, febrem istam in altissimo oceano erupisse; quam equidem vix putem ex aqua putrida in navis penetrali originem duxisse, quum parùm probabile sit, causam hanc medicum acutum, cui neque propria experientia deesset, quemque nec aliorum scriptorum opiniones laterent, in quibus multi hanc ipsam causam

---

* BLANE, p. 408. et in Append. p. 608.

causam attigerunt, fugisse. Febris flavæ, quam in nave *Busbridge*, quum altum teneret, extitisse memoravi, origo pariter notatu maximè digna est, quum sollicitissimam isti purificandæ ac ventis aperiundæ curam adhibitam fuisse constet.

Videamus igitur, an hasce difficultates aliâ efficaci causâ, quàm huic morbo generando prodidêre nonnulli, calore nempè, tollere liceat. HILLARIUM, calorem in primis febris flavæ causis habere, suprà jam exposuimus. BRUCE quoque ait, quavis anni tempestate morbum istum gigni; symptomata tamen graviora observari, ubi calor intensus cum multa humiditate conjunctus sit. BLANE produci eum non posse contendit, nisi eâ anni tempestate, eâque regione, qua aëris calor ad tempus ferè supra 80mum grad. FAHR. intumescat *.

Observata nonnulla, ab auctoribus in medium prolata, persequi, indeque verum eruere liceat. Febrem flavam in nave *Fanny*, quum in

* BLANE, p. 607.

in altissimum mare evecta esset, per tempestatem calidissimam, et maximè tranquillam, apparuisse, itidemque in navi *Busbridge (East Indiaman)*, in alto mari, thermometro ab 80mo ad 86^{tum} gradum variante, incepisse vidimus. CLARK auctor est, in insula Dominica per menses Junium, Julium, Augustum et Septembrem, anni 1793, thermometrum in conclavi magno positum, cujus januæ et fenestræ, quo aëri gelido aditus pateret, apertæ essent, plerumque ad gradus 88° aut 90° adscendisse, aliquando etiam, idque intra horas ii.–iv. postmeridianas, ad 92°; decimâ autem noctis horâ raro infra 80° cecidisse, et diluculò, frigidissimâ quippe diei parte, nunquam infra 79°. In urbis vicis ad 110° adscendit, et, si in aprico suspendebatur, 120° attigit. Superioribus annis sæpè ad 90° et 92° mercurius, mensibus autumnalibus, emerserat; neque tamen diu hac altitudine unquam persiterat, cœlo nubilo, imbribus violentis et tonitru, quod semper hac anni parte occurrit, aëris fervori detrahentibus. Contrà, a mensibus Januarii et xv. Junii 1793, quum hæc febris

I apparereret,

appareret, admodum tranquilla anni tempestas erat, et in hac et vicinis insulis solito multò calidior. Pluvia rarior usque ad diem xv. Octobris, tonitruque mensibus Maio, Junio et autumno anni 1793, nullum erat, id quod per viginti anteriores annos non acciderat (p. 49,–51.). Secundum ROUPPE febris in ea navi, in qua ipse erat, incipiebat, quum ad *Curassao* jaceret, idque die xxvi. Augusti 1760, quo septem corripiebantur. Verba ipsius auctoris e libro de Morbis Navigantium (p. 303, 304.) hic adponam: " Navis in loco *Het Wangat* anchoris infixa stabat, puppi orientem, prora occidentem spectante, adeò, ut ventis, plerumque in tergum et dextrum ejus latus flantibus, optimè pateret; neque quidquam insuper, quod usus ferret, et sanitati prodesse judicaretur, omittebatur. Die xxvi. Augusti septem ex nautis decubuêre; ægrotantiumque numerus circa ejusdem mensis finem ad sexdecim increvit. Mercurius quum altissimus esset, tenebat grad. 89, semelque 90; quum humillimus, grad. 83. Dies pluviosi duo erant. Mense Septembri celeriter admodum

dum ægrorum numerus augebatur, idque die xxvij. hujus mensis ad septuaginta novem: dein rursus decrescebat, ita, ut ultimo ejus mensis die ad quinquaginta quatuor diminueretur. Mercurius, sublimior factus, tangebat grad. 89; depressior contrà, grad. 82. Pluviosi fuêre sex dies. Tandem die xxi. Octobris, quo reditum in patriam suscipiebamus, ægri adhuc triginta unus, et ultimo mensis die tantùm viginti in navi supererant. Mercurius errabat inter grad. 81^m et 87^m. Hoc mense, dies septem pluviosi observati sunt, quamquam pluviæ copiosæ haud essent. Ultimo autem Novembris intra quatuor stetit ægrotantium numerus, mercurio inter grad. 74^m et 84^m vagante. Tres quatuorve tantùm dies pluviosi erant, sed cœlum sæpè nubibus obductum erat. Maximus ægrorum numerus mense Decembri sex finiebatur, mercurio inter grad. 67^m et 80^m sursùm deorsùm vergente. Dies pluviosi tredecim, multi nubili." —Hactenus Rouppe, qui tamen parùm accuratè egit, quod, an hi omnes febre tentati fuerint, tum quod numerum nautarum, et

quot

quot quovis die illâ correpti fuerint, apponere neglexerit.

Quod morbum Jamaicæ recentem attinet, ex LEMPRIERIO cognoscimus, pluvias mense Maio 1793 diuturniores et violentiores solito fuisse, hasque calorem intensum per Junium, Julium, Augustum ad autumni initium secutum esse. Effluviis palustribus inde ortis, idem febrem flavam endemicam adscribit, quamprimùm mense Augusto observavit, quæque ad mensem Januarium duravit; hancque febrem communem remittentem secutam esse tradit. Calor mensium Aprilis et Maii sequentis violentissimus erat, quanquam nullum tonitru existeret. Mensibus Junio, Julio et Augusto anni 1794, febris flava iterum exorta est, et violentior quàm superioribus annis inter advenas *Kingstonii* et *Portûs Regii*, (*Port Royal*), sæviit. Adversam valetudinem omnium ferè navium, quæ in portu stabant, nautæ experiri cœpêre: eademque febris inter omnium ferè urbium maritimarum et ruris vicini incolas, quid? quod ubique, præterquam in editioribus locis, apparuit.

apparuit. Post pluvias autumnales morbus iste lenior, et per menses frigidiores rarior factus est. Febrem inter advenas referebant menses calidi annorum 1795 et 1796 *. Fatetur hic auctor, vere anni 1794, quo plurimi febre flavâ laborarent, pluvias solito haud densiores cecidisse, et ex ejusdem silentio id idem in annis 1795 et 1796 inferendum.

Satiùs erit hîc iterum apponere quæ suprà de tempestate *Norfolkii* anno 1801 retuli. Ver admodum erat tardum. Frequentes imbres, et cœli facies nubibus obducta, calorem aëri detraxerunt. Thermometrum non ultra 87° ascendit. Julii serenos et calidissimos dies secuti sunt, imbres et cœlum nubilum, ferè ad 23^{m} Augusti. Primis undecim Septembris diebus, calidissima tempestas et admodum tranquilla. Cœlum nubibus penitùs expers, et mercurius rarò infra 90° cecidit. Intereà frequentissimi febris impetus usque ad xi. mensis, quo Africo in Cæciam verso, secuti sunt imbres et cœlum nubilum.

Nulla

* Lempr. vol. ii. à p. 48—55.

Nulla exinde mora febri ; e contrario, incrementum ab 11° ad 15^m ; ubi plurimis ex Europa appulsis navibus, cum nautis et vectoribus multis, insæviit longè latéque febris usque ad finem mensis. Neque cursum arripuit frigidior tempestas quæ sub 27^m. accessit.

MOSELEY homines, qui in urbe *New York* Americæ Septentrionalis, anno 1798, occubuerint, in Libitinæ rationem, infert mense Augusto, CCCXXIX ; mense Septembri, MCXXXII ; mense Octobri, DXXII ; et inde usque ad decimum Novembris, LXXXIII. Thermometri FAHRENHEITIANI variatio per hoc tempus hæcce erat * :

Mense *Augusto*, solis ortu,	65°	—	79°
—— ——— h. ii. pomerid.	76°	—	96°
—— *Septembri*, solis ortu,	40°	—	73°
—— ———— h. ii. pomer.	52°	—	82°
—— *Octobri*, sol. ortu,	29°	—	64
—— ——— h. ii. pomer.	38°	—	76°
—— *Novembri*, sol. ortu,	30°	—	38°
—— ———— h. ii. pomer.	35°	—	53°

RUSHIUS

* MOSELEY *on Sugar*, p. 219, 220.

Rushius tabulam hac febre Philadelphiæ, anno 1793, mortuorum et tempestatis proposuit, utriusque rei hoc compendium secutus :

Augusto a. 1793, mortes per diem mediæ,		$10\frac{1}{2}$
———	Therm. 6tâ ante merid. h.	68° 7′
———	——— 3tiâ pomerid. h.	82° 5′
Septembri, Mortes per diem,		48
———	Therm. 6tâ, a. m. h. -	61°
———	——— 3tiâ pomer. -	76° 5′
Octobri, Mortes per diem,		$64\frac{1}{3}$
———	Therm. 7tâ a. m. h. - -	48°
———	——— 2dâ pomer. - -	63°

Mense Augusto unus tantùm dies omninò tranquillus erat : præter hunc, manè quater, et post meridiem semel tantùm, tempestas tranquilla erat. Per mensem istum quatuor dies pluviosi : at mense Septembri nulla prorsùs decidebat pluvia ; septies manè tranquillitas, quæ unum tantùm diem perseveravit. Trium dierum post meridiem in tabula ista nulla habetur nota. Primis undecim diebus mensis Octobris, nulla pluvia erat, eaque duodecimum planè opplebat. Semel manè tranquillum erat : decimo quinto die iterum post meridiem,

meridiem, pluvia, quæ iterum cessabat ad ultimum usque mensis diem; ter manè tranquillum; neque per omne hoc tempus ullum tonitru. Mortes primis quindecim mensis Octobris diebus, mediæ cujusque diei, ferè lxxxvi: Therm. h. vii. matut. 54°; h. ii. pomer. 74° 4′. Ultimis sexdecim diebus, medius mortuorum per diem numerus, xliv$\frac{1}{2}$: Therm. h. vii. matut. 42°; h. ii. pomer. 56° 25′*.

Testatur LINING, e quatuor annis febris flavæ, quos illam tractavit, unum tantùm, nimirùm æstatem et autumnum anni 1739, pluviosum admodum fuisse; cæteros omnes nec solito calidiores, nec pluviosiores, imò nonnunquam minùs calidos ac pluviosos fuisse, quàm aliorum annorum, in quibus nemo febre tentaretur, æstates et autumnos. Anno 1748, versus Augusti finem, febris cœperat, et ad medium usque mensis Octobris durabat. Mensis Augusti initio multò calidior solito

* Multò utilior hæc RUSHII historia fuisset, si febre tentatorum, potiùs quàm eâ pereuntium, numerum inire potuisset.

solito tempestas, ita, ut therm. dies aliquot h. ii. pomer. in umbra ad 96° adscenderet. Ultima istius mensis pars, et prima Septembris hebdomas, nihil ferè a solito recedebant. Secunda illius mensis hebdomas frigida erat. In ultima ejus parte usque ad xviij. diem Octobris calor medius, h. ii. pomer., et quidem in Septembri, erat 72°, et in Octobri 65°. Calor medius nocturnus, mense Septembri, erat 68° ; mense Octobri, 54° *.

Ex Chisholmii opere constat, febrem flavam anni 1793, sub Februarii finem exarsisse, et sub medium Augustum cessâsse. Thermometri altitudo, in umbra, erat:

	H. vii. matut.	H. i. pomer.	H. x. pomer.
Mense *Januario*,	79°	86°	80½°
—— *Februario*,	79½	84½	79½
—— *Martio*,	79½	83½	79
—— *Aprili*,	80	85½	80
—— *Maio*,	80½	83½	82
—— *Junio*,	79½	82	79½
—— *Julio*,	79	82½	80½
—— *Augusto*,	80	84½	82
—— *Septembri*,	81	86	81
—— *Octobri*,	80½	85	82
—— *Novembri*,	79	83	80
—— *Decembri*,	79	84	79½

K Menses

* Lining, p. 372 et seq.

Menses Januarius, Februarius et Martius, primis quidem diebus hicce, pluviosi erant: Raró tamen Februarius, ut idem auctor asserit: Venti eodem mense soliti. Per Aprilem pluvia ferè nulla; venti sedatiores quàm mense Martio. Maius siccus et pulverulentus usque ad diem decimum sextum; inde pluviosus, et cum fulgure ac tonitru. Mensis Junius, si duos aut tres dies excipias, pluviosus, fulgure ac tonitru creber, frequens etiam venti flatibus. Mensis Julius ad usque diem decimum primum, siccus; cætera ejus pars pluviosa, admixtis fulgure, tonitru, ventisque sævissimis; aërque vaporibus densus. Augustus minùs pluviosus, et aër intolerandâ ferè æstûs vi et vapore torridus: Tonabat in maxima tranquillitate. Mensis Septembris solito pluviosior, cum multo fulgure ac tonitru, ventique flatibus: Die quinto ejus mensis, qui siccus et innubilus erat, major ac molestior exortus est calor, quàm quem anteà observasset auctor noster, mercurio h. xi. ante merid. ad 88°, et h. i. pomer. usque ad 92° eniso.

Ex

Ex his apparet, febrem flavam, etsi sæpenumerò sub magno atque insolito calore incepisset, non semper tamen, aut initio aut per ejus decursum, asseclam istum habuisse. Sic Grenadæ eadem prorupit, thermometro calorem solito haud majorem indicante, quin minorem adeò, quàm isto tempore sæpiùs observatus fuerit. Extendebat sese morbus etiam minore calore vigente, et omninò mense Augusto cessavit, quò calor vehementior, quàm tribus superioribus mensibus, existebat, qui etiam usque in mensem sequentem nova incrementa cœpit.

Navis *Busbridge (East Indiaman)*, quamvis in alto mari, ferventissimâ tempestate, febris incepisset; nautas tamen sub variis iisque magnis tempestatis et regionis mutationibus usque affecit. In urbe *New York* anno 1798, mense Augusto, sese extulit, quando calor medius erat 79°, et thermometrum semel tantùm 96° adsiliebat.

Mense Septembri in triplum auctus est affectorum numerus, quum calor medius ortu solis tantùm 56° 5′ esset, et h. ii. pomerid.

tantùm

tantùm 67°, maximus autem hujus horæ 82°, qui quidem calor in latitudinibus septentrionalibus in continenti atque insulis frequentissimus est.

Multò violentior quoque febris extitit mense Octobri, quàm mense Augusto, quum media mercurii altitudo, juxta MOSELEY, manè tantùm 46° 5′; h. ii. pomer. tantùm 57°, et maximus hujus horæ calor 76° esset.

Philadelphiæ, anno 1793, incipiente febre flavâ, thermometri medium erat, h. vi. matut. 68° 7′; h. iii. pomer. 82° 5′.

In quintuplum ferè morientium numerus augebatur mense Septembri, quo calor medius h. vi. matut. ad 61°; et h. iii. pomer. ad 76° 5′, descenderat. Primis quindenis mensis Octobris diebus, pereuntium per diem numerus decies mensem Augustum exsuperabat, tametsi calor medius ad 54° h. vii. matut., et ad 70° 4′ h. ii. pomerid., descendisset, et tantùm duo dies essent, nimirùm primus et decimus quartus, illius mensis, quibus calor ultra 74° assurgeret; primâ autem grad. 89°, et secundâ 76°, mercurius attingeret.

Neque

Neque hoc loco prætereundum est, mensibus duobus proximis, antequam febris flava Philadelphiæ apparuisset, calorem medium, tam manè quàm post meridiem, multò graviorem fuisse quàm mense Septembri et Octobris initio; Julii porrò calorem Augusti superâsse, thermometro h. vi. matut. grad. 71° 5′, et h. iii. pomerid. gr. 84° 5′, indicante, et duobus diebus gr. 90° excedente. Quamvis autem morbus sub gelu cessaret; satis tamen exploratum est, eundem, quum calor medius h. vii. matut. 42° designaret, multos dies adhuc durâsse.

Superiùs jam LININGII testimonium adduxi, eandemque opinionem HILLARIUS hisce ferè verbis prodidit: "Ex variantis tempestatis, annique temporum diversitatis, observationibus accuratissimis, quas equidem multos per annos institui, nullo modo liquere arbitror, febrem hancce ab his conceptam inductamque fuisse, aut has utique magnam in illam vim habuisse; quandoquidem illam quavis anni tempore, tamque frigidissimis quàm calidissimis animadverterim," (p. 146.).

In

Innumeris quidem argumentis probare liceret, ipsum calorem, quantumvis vehementem, febrem flavam producere haud posse. Neque omninò exemplum in medium proferri posse arbitror, quod edoceat, illam inter intimæ Africæ aut Asiæ incolas, aut inter advenas, qui terrarum istarum torridas ac desertas plagas peragraverint, generatam fuisse. Unde etiam accidit, ut exercitus Britannicus, ex Philadelphia in *New-York* ductus, ab ea planè immunis esset, quamvis adeò intensus calor esset, ut miles in agmine, eo oppressus, concideret ac periret. Unde ut Parisiis nunquam gignatur morbus, ubi, ut ipse, æstate anni 1802, observaverim, non semel tantùm 42^{m} gr. indicavit therm. REAUMURI.

Eadem de pluvia extat opinionum discrepantia. Explicare hanc conatus est LINDIUS; et post eum RUSHIUS, varium in locis diversis, pluviæ effectum, in miasmatibus palustribus producendis, asserentes *. Enimvero,

* LIND. *Diseas. of Seamen*, p. 46. RUSH. vol. iii. p. 151.

vero, si paludum miasmata febris flavæ gignendæ vim haberent, quì tandem accidat, ut illa nunquam in paludum vicinia, si a mari et fluminibus, æstubus impulsis, remotæ sint, deprehendatur? Neque constat, morbi conditionem a vento aut tonitru affici, quamvis multi auctores, tonitru gravius et turbines tropicos magnam avertendæ ejus vim habere censuerint.

Analogiæ certæ absentia, a SYDENHAMIO inter morbos quosdam aërisque qualitates, quæ in sensus cadunt, observata, effecit, ut magnus iste medicus multorum epidemicorum morborum origines ad ignotas quasdam conditiones, quas aëris constitutiones appellat, referret. Medici quoque recentiores, difficultate exputandæ febris flavæ originis animadversa, satis amplum opinationibus, dum causas ejus rimarentur, campum aperuêre. Sic RUSHIUS causam excitantem aëris *oxygen* superabundans esse censet*; CLARK, contrà, et MOSELEY†, vitalitatis

---

* RUSH. vol. iv. p. 75.

† MOSELEY *on Sugar*, &c. p. 222.

talitatis defectum arguit. Minùs explicitè egêre JACKSON et MACLEAN, qui tantùm morbum illius principii excessui adtribuunt, quod plantas nutriat; neque tamen, quale illud sit, exposuêre. MITCHILL, qui *New-York* degit, morbum a *septici acidi* generatione derivat, quod *oxygenis* est cum *azoto* conjunctio; quum, alterâ parte, recentia Doctoris BEDDOES experimenta, itemque DAVII in *azoti* sic appellatum *oxydum* adhibita, calorico gaseam factam hanc substantiam, ab iis quas descripsit MITCHILL, proprietates valdè diversas habere monstrant. Omninò nihil de aëris mutatione chemica, quæ ad excitandum hunc morbum faciat, cognitum est.

2*dò*. Alterum contra naturam febris flavæ contagiosam argumentum inde *à priori*, ut aiunt, quæritur, quod contagio calore tollatur. BLANE primus de caloris viribus in dissipandis effluviis contagiosis copiosiùs disseruit, probavitque, frigus quoque intensius ad propagandam typhi contagionem nonnunquam inservire. Unde verisimile videtur, JACKSONUM eò delabi potuisse, ut febrem contagiosam hieme plerum-

que

que exacerbari intendique affirmaret (p. 218.); neque animadverteret, frigus, quatenus hunc producat effectum, remotè tantùm agere, idque affigendo homines conclavibus calidis, aëris accessum impediendo et calorem accumulando. Quod si ex observatione propria indicâsset, facilè utique ipsi constitisset, typhum, si quis aëri post intensum frigus exponatur, semper evanescere. Cedere etiam videtur pestis frigori, quamvis paucos quosdam casus tam in hoc morbo quàm in typho ex talibus causis, etiam in temporibus horum morborum propagationi adversis, oriri posse negari nequeat. Idem, teste LIND *, in febre flava in Indiis Occidentalibus occurrit, utì quoque in scarlatina aliisque Europæ morbis. Quod caloris vim in typhi contagionem attinet, dudum jam LINDIUS observavit, maximum calorem, qualis furni est, quique vitæ animali perniciosus est, contagionem hanc ab omnibus, qui illi exponantur, arcere; inferiorem autem calorem, in quo homini respirandi

L facultas

* *Diseas. of Europ.* p. 117.

facultas sit, sæpissimè non tollere *. Affirmatur tamen, pestem, calidioribus æstatis mensibus, sponte in Levantino tractu (*Levant*) cessare. Unde recte cogas, pestis quidem vim calore propulsari posse, neque tamen idem de aliis contagionibus valere. Constat enim, variolas in regionibus et tempestatibus calidis æquè contagiosas, multòque magis mortiferas esse. Satis quoque compertum est, typhum symptomatibus ferè propriis in calidis regionibus existere posse. Ita, inquit Blanius, " in navibus istis quorum nautæ a Gallicis navibus captis remittebantur, non tantùm remissorum, sed cæterorum etiam nautarum, ægritudo augebatur. Alia quoque contagionis suspicio e chirurgorum et administrantium funeribus deducenda, qui, dum officio suo satisfacere studerent, spiritus effluviis ægrorumque contactui obnoxii erant. Dum Jamaicæ commoraremur, priorum mortui sunt tres, posteriorum quatuor, quæ quidem pro ductorum militum cæterorumque hominum

* Lind. *Diseas. of Seamen*, p. 320.

num numero major proportio erat," (p. 106, 107.) Idem confirmat JACKSON; qui idem febrem maximè contagiosam et virulentam inter copias Britannicas, quæ a *Corkio* in Hibernia naves, mense Novembri 1796, adscendissent, viguisse; eandemque, quamvis leniorem, usque dum ad *Barbadoes* appellerent, etiam ad initium Maii, quum reliquus exercitus *St Domingo* attingeret, viguisse narrat, (p. 59.)

3*tiò*. Hinc etiam contra contagiosam febris flavæ naturam argumentum, deducitur, quod ista semper certis anni temporibus appareat; quod tamen secùs esse, jam commemoravi. Cessavit enim Grenadæ sub medium Augustum, quo plerumque ingravescere solet: quanquam altera ex parte contendere licet, cessationem istam ex hominum, in quos febris ageret, defectu ortam fuisse. Unde autem explices, quærat quispiam, quod circiter xxii. diem Februarii febris inceperit? Si huic respondeatur, hanc rem ex simili aëris statu diversis illis periodis pendere, illorum est, qui hoc affirmant, similitudinem hanc investigare,

et,

et, si nullam talem invenire queant, exinde contra suspectam morbi originem argumentum deducere.

Age verò, concedamus febrem flavam existere, et sævire, certis tantùm quibusdam temporibus. Nonne hoc idem in aliis morbis febrilibus, naturæ contagiosæ, in frigidioribus regionibus occurrit? Ita, e. g. in Britannia sub Christi natalia apparent morbilli, qui plerumque æstate appropinquante cessant, quibus succedit tussis convulsiva infantum, quæ redeunte hieme iterum evanescit aut remittit. Ita pestis quoque periodos suas constitutas habet, et typhus a mense Junio ad usque Septembrem aut Octobrem ingravescere solet, posteàque a violentia frigoris tollitur. Sanè in his neutiquam homines, in quos agat morbus, deficere possunt: nam de morbillis et tussi convulsiva affirmare possumus, magnam, quæ istis haud afficiatur, multitudinem superesse; quacum certè communicaretur morbus, si intra certum spatium, tempore proprio, poneretur; et frigoris in typhum vis adeò

frequens

frequens et immediata est, ut, hoc causam non esse, suspicio oriri nequeat.

4*tò*. Porrò negatur, febrem flavam contagiosam esse, quod satis compertum sit, illam eosdem homines *sæpiùs* afficere, quod secùs sit in variolis, morbillis, et aliis morbis contagiosis. Atqui, constitutionalem luis venereæ affectionem plus quàm semel recipi posse, nemo facilè neget; quod et ipsum de febrilibus istis morbis, scarlatina et typho, verum est.

5*tò*. Ulteriùs contendunt, febrem flavam idcirco non contagiosam esse, quod certos tantùm homines infestet. Ita suprà commemoravi illam plerumque Æthiopes et albos calidarum regionum indigenas præterire; Europæos contrà, præsertim robustos juvenes, corripere. Affirmant etiam nonnulli, illos quoque, qui cum ægris nullam communicationem habuerint, eâdem affici, dum medici ægrorumque administri a contagione immunes sint. "Si (inquit Moseley) contagiosus esset morbus, virus suum cum aliis communicaret, quæcunque æger tetigisset; neque quisquam, qui intra fines, ad quos vires suas extendere posset,

set, accederet, contagionem evitaret." Opinionis hujus firmandæ causâ, exempla a variolis, morbillis et lue venerea petit, additque, "si morbus contagiosus esset, inoculatione, in omnes transferri posse, quod quidem in febre flava et febribus sic dictis pestilentialibus fieri nequeat *."

Refellendæ huic opinioni nonnulli asserunt, alios quoque morbos contagiosos dari, quæ eodem modo corpora sibi idonea seligant; ita ætate provectiores raró scarlatinâ, cynanche tracheali, aut cynanche malignâ affici, raró etiam ætate provectiores et infantes typho. Lindius, cujus experientia in talibus amplissima erat, maximè eos errare dicit, qui contagionem in carceribus existere posse negent, nisi ipsi vincti universè morbo teneantur; imò contagionem generalem judicat, quando vinctorum pars quarta afficiatur; eamque in rem plura exempla in medium profert †. In diversis Londini pestibus plus quàm duos e tribus,

* Moseley *on Sugar*, &c. p. 220. et seq.

† Lind, *Health of Seamen*, p. 310. et seq.

tribus, et *Massiliæ*, anno 1720, quartam incolarum partem intactam fuisse constat. Notissimum est, homines quosdam luem veneream et syphilidem non contrahere, et, quod utique mirandum videtur, localem gonorrhϾ affectionem, quamvis contagioni isti vel maximè expositi fuissent. Æquè compertum est, multis variolarum contagionem, tam exhalatione quàm inoculatione adspersam, non adhæsisse; hos ipsos tamen eundem morbum communi formâ contraxisse.

Ex Lindio * liquet, typhum in carceribus sæpè sponte leniorem fieri, neque ullis causis apparentibus prorsùs cessare. Hic idem narrat, quod sanè notatu dignissimum est, variolas in alto mari inter homines octingentos octogintos, in nave Britannorum bellica, *The Royal George*, erupisse, et sponte cessâsse, idque multos menses antè, quàm navis portum quempiam intrâsset, centum ferè hominibus contagione non affectis †.

Ex

* *Health of Seamen*, p. 319.

† Ibid. p. 299.

Ex argumento inde ducto, quod pestis aut febris flava inoculatione propagari nequeat, nihil omninò concludi posse arbitror. Etenim, quis tandem luem veneream ex sanguine, ossium cariosorum ichore, cuti inoculando, aut gutture ulcerato, cujusdam hoc morbo laborantis, multiplicet ac disseminet? Si in peste, typho, aut febre flava, materies perspirabilis morbum impertiatur, difficillimum fore puto, substantiam hanc prehendere, et formâ, quæ in sensus cadat, administrare; quanquam utique vestibus cumulatè excipiatur, sicque verè morbum contagione propaget. Atque hujus communicationis tot exempla existunt, ut vel morosissimi quique adversarii inde sese convinci patiantur.

Facilitas autem et tenacitas, quacum effluvia quædam porosis substantiis adhærent, ex sequentibus, quæ intelligentissimus medicus mecum communicavit, optimè probari posse puto. Is, quum in fœminæ cujusdam, febre puerperali mortuæ, cadavere secando occuparetur, in qua quidem febre peritonæum, post inflammationem gravem, ad gangrænosum statum

tum accedere, et variè mutata fluida in abdominis cavitatem infundi constat; ex hac ipsa cavitate, aperto cadavere, intolerandus ferè fœtor exoriebatur, et quamvis idcirco quàm citissimè, saltem semihoræ minore spatio hujus partis sectio absolveretur; adeò tamen tetro isto odore pileus ejus inficiebatur, ut etsi semper in aëre gestaretur, eum totos decem dies servaret. Hoc eodem modo aut per aërem, vehiculum illud diffusivum, contagionem in homines singulos et universos, qui ipsi cum ægris haud una fuerunt, transferri constat. Neque dubitari posset, Societates, quæ *Massiliæ* erant, religiosas, quas quidem MOSELEY, pestem ab aëre originem traxisse, probaturus adducit, contagioni ita obnoxios factos fuisse; nisi fortè probabilius esset, quosdam istarum Societatum fratres, quæ religio ipsis imponeret muneribus satisfacientes, ægros, morbo primùm incertæ indolis, posteà pro peste agnito, decumbentes, visisse. Priscis quidem temporibus, quibus ignorantiam vulgi ad privatam utilitatem suam traherent, syphilidem etiam iræ divinæ, stellarum potes-

tatibus aut malignæ aëris constitutioni, majores nostri attribuere solebant *. Quod quidem somnium evanuit, neque facilè quisquam cultiore ætate nostrâ contenderit, variolas aëre propagari, quamvis sæpissimè morbus iste a contagione derivari nequeat. Neque quisquam morbillos contagione promoveri dubitabit, quamvis per multos anni menses planè cessent, pòst autem gradatim iterum appareant, cujus tamen reditus causas ac fontes frustrà aperire coneris.

Qualitas, effluvia contagiosa continendi substantiis quibusdam, *fomitum* nomen dedit; et constat ferè universè, talibus fomitibus contagiosos morbos multò faciliùs propagari, quàm ipsis vivis ægrorum corporibus. Contendunt quoque, infectionis periculum ex quodam, typho verè laborante, multò levius esse, si mundior habeatur, quàm ex vestibus contaminatis et a sanissimo gestis †. Hoc, modo

* Vid. v. c. Nicol. Leonicen. de Morbo Gallico.

† Lind. *Diseas. of Seamen*, p. 313.

modo parùm, quidem, logico, negat Moseley, de sic dictis *Black Assizes* Oxonii, anno 1577, existentibus loquens, quibus judices, jurati, et administri, contagione a vinctis in forum translatis accepta, perirent. Quærit enim, unde hoc evenire potuerit, quum vincti ipsi morbo non laborâssent*? Ex hoc argumento et sequentibus satis constat, censuisse istum, vestes effluvia noxia retinendi emittendique vim nullam habere, istaque effluvia in vinctorum illorum vestibus latere haud potuisse, adeò quidem, ut cum aliis communicarentur, quod ipsi a morbo immunes fuerint. Enimvero, si typhum ex communicatione cum aëre, effluviis contaminatis e vivis corporibus impuro facto, probare necessarium foret; facilè hoc demonstrare liceret ex iis, quæ in antiquo carcere *Old Newgate* Londini, anno 1752, contigêre. Ad purificandum istum carcerem quum tubi ventilatorii, qui suprà in communem fistulam, a molendino, quod a ventis truditur, movendam

* Moseley *on Sugar*, p. 219.

dam exibant, in quamque cellam inferrentur; ex undecim hominibus qui erigendis hisce ventilatoribus operam navabant, septem febri, evidenter naturæ typhosæ, corripiebantur. Unus horum, ex quo malè se habere cœpisset, opus reliquerat, post aliquot tamen dies, omninò refectus, *Newgate* redierat. Haud multò pòst quum fortè antiqui ventilatoris fistulam aperuisset, tam ingratus exinde odor processit, ut homo, nauseâ et stomachi ægritudine correptus, domum repetere coactus esset, ubi sub noctem proximam febre tentabatur. Cooperarii puerum quendam quindecim ferè annos natum perpulêre, ut magnam ventilatoris fistulam, capillamenti, quod fortè in eam decidisset, repetendi causâ descenderet; qui quidem, quum intereà machina moveretur, a fœtore penè suffocatus est, antequam exhauriretur. Domum relatus capitis gravem dolorem querebatur, prætereà stomachi magnam ægritudinem cum propensione ad vomitum, hisque succedebant omnia typhi symptomata. Observatu dignum erat, quod hic idem antè, quàm morbo tentaretur,

ubi

ubi bis magnam ventilatoris fistulam inscenderat, motu tamen destitutam, neque quidquam inde fœtoris aut damni perciperet; quum autem inter machinæ motum descenderet, brevi suffocationis periculum clamore testatum faceret. Duo etiam homines, quum exinde haurirent, tam tetro odore, ex fistula prodeunte, adflati sunt, ut cum violento vomitu sanguinem exspuerent. Omnes septem quos memoravi, in locis disjunctis habitabant, in quibus nullos anteà febre simili adfectos fuisse manifestum erat. Omnes hi sub idem tempus decumbebant, et characteristicis typhi symptomatibus laborabant. In his autem non subsistebat morbus, sed ab uno eorum ad filiam suam octo annos natam, quæ cum parentibus dormire consuesset, pergebat; ab hac ad matrem, quæ ægrotanti filiæ adfuisset, et cum illa semper dormiisset; a matre ad sororem ejus, quæ priori ægræ adstitisset; tum ad filios, duos pueros et aviam, quæ quamvis in eadem domo non habitaret, ægros tamen sæpiùs invisisset. Ex

ægris

ægris istis primitùs morbo correptus unus, morbum cum uxore communicavit *.

In hoc casu nihil refert, utrùm effluvia ista in corporibus, febre laborantium gignantur, et statu venenoso emittantur, an sint exhalationes merè animales, post emissionem demùm noxiæ factæ. Satis probant hæc in medium adducta, effluviis concentratis vim typhi generandi inesse. Quæritur itaque, an effluvia hæc in substantiis porosis, quæ nempè diu illis imbutæ fuerunt, ita retineantur, ut exhalatione similem in novo quopiam homine morbum excitent. Pilei diu effluviis putridis satiati exemplum jam suprà adduxi, et plura a scriptoribus allata suppetunt, quæ hujus opinionis veritatem confirmant. Memorabile ejusmodi habet PRINGLE, quod, nescio qua de causa, MOSELEY omisit. Anno 1750, die xi. Maii cœpêre judicia (*trials*), et multos dies in Londinensi foro, *Old Bayley* dicto, duravêre, numerusque eorum, de quibus judicium ferretur, major erat, et forum solito frequentius.

* *Philosophical Transact. of Lond.* vol. xlviii.

tius. Per hoc tempus multi e vinctis in angustum quendam constipabantur locum. Inde factum est, ut proximis quatuordecim diebus post peracta ista judicia, quatuor e sex judicibus, cum multis jurisconsultis, juratis et aliis, omninò quadragintà, febre e typhi genere afficerentur, omnesque præter duos aut tres morerentur, E fori parte, quæ consessui judicum adversa erat, fenestra quædam aperta erat, notatuque maximè dignum erat, quod ex iis, qui a dextra primi judicis manu essent, non ampliùs quam duo vel tres morbum contraherent, quum ipse judex et reliqui omnes, qui ab ejus sinistra essent, cum plurimis aliis, qui eodem loco versarentur, febre corriperentur. Quam quidem effectus in diversis lateribus diversitatem, ex diversa istarum aëris partium contaminatione, pependisse quis non intelligat? quo etiam probabiliter referenda est aperta fenestra *. Ex hac historia multò verisimilius videtur, effluvia noxia in forum a vinctis, diu in angustum locum compressis,

* PRINGLE, *Dis. of Army*, ed, iv. p. 589. et seq.

pressis, translata fuisse, quàm exhalationes, ex sanis hominibus ortas, brevi hoc tempore adeò, ut typhum producerent, contaminatas fuisse. Quanquam omninò haud constet, unum ex vinctis istis morbo affectum fuisse. A nullo quidem medico, qui experientiâ et observandi solertiâ pollet, negari potest, peculiarem quendam corporis habitum majorem minoremve ad morbos contrahendos propensionem alere atque excitare. Concedit hoc Moseley * in morbis ab aëre productis, neque a priore statuendum, cur non æquè locum habeat in istis, qui ex contagione oriuntur. Atque hoc ita se habere, ex superioribus satis intelligi arbitror. Ibi enim exempla in hominibus obvia exposui, qui variolas non reciperent, quamvis earum materies contagiosa, brachiis inoculatione infricata, aut effluvia, quæ vestibus sese insinuaverant, in aliis morbum istum producerent; qui iidem tamen, quum alio tempore facillimè variolas aut inoculatione aut adhibitis effluviis, attra-
herent

---

* *On Sugar*, p. 218.

herent; immunitatem istam a peculiari quadam corporis ἕξει arcessendam esse apparet.

Optimè variam hanc contagiosos morbos contrahendi potestatem illustrat RUSSELL *de Peste* *. Primùm, inquit, incipiente peste, morbus, etsi minùs contagiosus, dirissimâ apparet facie. Secundò, quamvis, dum ingravescit, verè magis contagiosus est, effluviorum tamen malignitas neutiquam exacerbata esse videtur, quoniam leniores tunc morbi formæ occurrere solent. Tertiò, diversi homines, quamvis ab uno eodemque infecti, variè admodum laborant, alii quidem majorem, alii minorem morbi violentiam experti, morbo nimirùm ad diversorum corporum indolem attemperato. Postremùm, homines, qui semper cum ægris versati sunt, quique contagionem in stadiis pestilentiæ maximè contagiosis non contraxêre, haud rarò tamen declinante morbo tentantur; quod ipsum corporis mutationem, neutiquam verò vim effluviorum contagiosorum auctam arguere videtur.

* *Treatise on the Plague*, p. 262.

Blanius homines noxiis effluviis sensim ita adsuescere posse censet, ut posteà difficulter a maximè concentratis damna ulla patiantur, dum novi contrà homines iisdem viribus obnoxii statim occupentur. Lindius rem, quæ huc facit, memorat; nimirùm, nautas DCL navis Britannorum bellicæ, *Cambridge*, diu optimam valetudinem expertos fuisse, donec aliqui, qui per aliquot tempus ægrorum quorundam in Nosocomium delatorum vices sustinerent, in navem *Neptunum* transferrentur. Ex nautis in Neptunum transmissis multi typhum contraxerunt, quamvis, dum in illa nave commorarentur, nullus ex nautis febre laboraret, et maxima in nave ventis aperiunda purificandaque cura adhiberetur. Haud multò pòst nautarum istorum in navem *Cambridge*, quæ tum incolumi statu gaudebat, reditum eadem febris in eadem navi prorupit. Neque tamen Blanii argumentum aut factum a Lindio relatum ejusmodi est, ut omninò inde quidpiam peti possit. Magis naturæ rei consentaneum videtur, ut credamus, illos, qui morbum evitaverint, salutem priori corporum suorum qualitati,

litati, susceptioni morbi minùs idoneæ debuisse, dum nova corpora statim afficerentur.

Expositis expensisque præcipuis quæ febris flavæ indolem contagiosam esse negant argumentis, et in conspectum adductis quæcunque probare videntur morbum ex notis qualibuscunque aëris conditionibus nequaquam originem trahere posse; restat, ut in argumenta positiva (ut ita dicam) inquiram, quibus nititur opinio contagionis. Et quidem vix monere opus esse existimo, planè concidere argumenta, ut aiunt, *à priori* sumpta, qualia plerumque hactenus in medium attuli, si modò morbum semel tantùm contagione communicatum fuisse, rerum factarum satis docuerit experientia.

Contagiosæ naturæ opinionem sustinet expertissimus quisque et acutissimus medicus. Horum argumenta in superioribus scripti partibus allata, nemo facilè in animo non habet. Ferè supervacuum et inutile esse videtur, nomina Chisholmii, Macleanii, Lemprieri, Clarkii, Rushii, Liningii, Currii, Patersonii, *Collegii*, quod *Philadelphiæ* est, *medici*

medici Membrorum, *Nuncii* quod *Madriti* est, Auctores, cum multis aliis, ad animos revocare. Ex hisce omnibus importationis opinioni tantùm non favet RUSH; et causam ab illo inductam, effectui generando haudquaquam valere, in superioribus satis fuisse evictum opinor.

Brevem quandam tradidit historiam PATTERSON febris flavæ quæ Americam diversis vexavit temporibus. Morbus, ait, iterum atque iterum sedibus et rebus arcessitus fuit, quas unâ voce historiæ fides et nuperorum experientia, effluviorum contagiosorum fontes receptacula aut alveos existimavêre. Primis ultimi seculi annis (intra viginti quinque annorum spatium) quater *Charlestonii* sæviit febris, ab Indiis Occidentalibus, ubi epidemicè grassabatur, nunquam non derivata. Philadelphiæ primùm, anno 1760, sese plenè exeruit, ubi juvenis hac febre Jamaicæ mortui vestimentis profectum fuisse, extra dubitationem positum erat. Exinde planè latuit febris, usque ad annum 1793, ubi originem a navibus quibusdam duxisse, quæ multitudinem

nem incolarum, cum omnigena supellectili, a Promontorio *François* Philadelphiam advexerant, satis comprobatum habemus. Anno 1794, *Baltimorium* adduxit navis ab Indiis Occidentalibus profecta. Novi Eboraci, anno 1795, pari modo ab Indiis Occidentalibus derivabatur. Cum Philadelphia iterum, anno 1797, febrem manifestè communicavit navis a Sto Dominico (*St Domingo*) appulsa. Similem habuisse originem, anno 1798, febrem Philadelphiæ, Novi Eboraci, et multarum aliarum urbium maritimarum, satis explicitum esse videtur.

Similem etiam, ut a superiùs dictis patet, in Indiarum Occidentalium insulis habuit febris originem: a *Boullamio*, anno 1793, Grenadam, a Martinico Dominicam advectam; anno 1794, Jamaicæ inductam et Dominicæ, a *Guadaloupe* et Grenada; anno 1800, cum Gadibus nave ab Havanna profecta; et, iterum, cum Philadelphia, anno 1802, nave a Sto Dominico profecta, communicatam vidimus.

Ex

Ex allatis, igitur, non ineptè contendere videmur, morbum *extrinsecùs esse eductum*. Quis autem asseveret morbum originis externæ cujusque adeò latum dominium, non esse contagiosum? quì, enim, aliter quàm contagione, novos inter homines, formâ propriâ et indole peculiari, possit disseminari?

Quærere quid *medii* genus sit, unde disseminetur morbus, multo minoris est momenti, atque adeò ipsa investigatio veræ forsan, superat philosophiæ terminos. Collatis autem, quæcunque adsunt, monumentis, nihil utiliùs, nihil satiùs est, quod inde elicere habemus, quàm febrem flavam, tanquam typhus, *ignotis quibusdam causis* proficisci; ejusdem, insuper, morbi ad modum cum hominibus, quos prædisposuêre, nescio quæ constitutionis innatæ seu valetudinis præsentis conditiones, (in quas tamen non exiguam vim exerere videntur calor aut aquæ marinæ exhalationes), contagione, ut aiunt, posse communicari.

DE

DE RATIONE SYMPTOMATUM.

Quum a causis procedat symptomatum ratio, hanc iis subjici, et ad illas conformari, consentaneum est. Stimulo suo agunt causæ, systematis arterialis actionem impropriam producendo, in cerebro gravissimum capitis dolorem, vertiginem, convulsiones, epilepsiam, dolorem et vomitum canalis alimentaris, et per morbum effusiones ex variis corporis partibus, præsertim naso et canali alimentari. E dissectionibus cognitum est, sanguinem huncce vomitu et purgatione rejectum e stomachi superficie et canali alimentari provenisse. Variis rejicitur conditionibus, mutato plerumque ex stagnatione colore. Constat floccis fuscis ex herbæ nicotianæ pulvere similibus, muco involutis; texturâ aliquando est arenosâ, coffææ sedimento simili; purpureo

reo etiam vel nigro colore; fuligini simili. In alvis liquefactum imitatur picem. Nigræ ex-cretionis hujusce symptomata, plerumque secundum et tertium morbi stadium comitantur, in quibus actionem arteriarum nimiam in istis partibus non sequuta est actio sufficiens aut vis contractiva, adeò ut extravasatio aut effusio contenti sanguinis oriatur. Neque celare possumus, multos, præsertim vetustiores auctores nigros hosce vomitus pro bile habuisse; quamvis maxima materiæ ejectæ pars atrum, viridem et flavum, bilis colorem minimè referat; quum insuper, omninò istis similis sit, quæ stomachus et intestina in quibusdam partium istarum morbis organicis ejicere solet. Nobis præbet BLANE, quod de hac re argumentum crucis nominare possumus. Testatur enim, in homine quodam, qui *Bostonii* in Nova Anglia, mense Septembri, anni 1798, sexto morbi die post vomitum nigrum mortuus esset, bilis ductus impervios fuisse, (p. 418.)

E simili causa oriuntur petechiæ, vibices, aut maculæ, quæ nonnunquam in hoc morbo

cutis

cutis superficiem tingere solent, quas quidem olim e sanguine dissoluto et putrefacto ortas esse opinati sunt. Sed huic theoriæ innumera adversantur.

1. Non liquidò constat, putrefactionem in parte quapiam corporis viva locum habere posse.

2. Veram putrefactionem ante mortem in iis, qui febre petechiali periêre accidisse, inde colligi nequit, quod corpora ista multò lentiùs, quàm hominum, qui, dum viverent, optima gavisi essent valetudine, putrida fiant.

3. Eædem maculæ in sanissimo corpore ex ictibus oriuntur, quippe qui sanguinis sani in telam cellulosam extravasationem producunt; qui quidem sanguis posteà putrefactione multas coloris sui mutationes subit.

4. Argumentum optimum, ecchymoses non in quovis casu ex sanguinis dissolutione, qualis in putrefactione esse solet, oriri, inde duci posse puto: omne enim corpus petechiis et vibicibus purpurei coloris obsitum fuit, quæ minimo quoque tactu adauctæ fuerunt in febre quadam inflammatoria, et altera cum testi-

culo inflammato. In utraque horum sanguinis missio refocillabat, ac planè restituebat ægrum. Sanguis porrò refrigeratus, crustam coriaceam, crassissimam ac tenacissimam induebat. Huic addam rem a RUSHIO memoratam *. Prodit iste, in fœmina quadam hæmorrhagiam nasi post sextam sanguinis missionem accidisse, et sanguinem, septimæ missionis, tenacissimum fuisse. Quæ si rectè expendas, facilè intelligas, sanguinis e variis corporis partibus effusionem ex arteriarum potiùs extremarum, potestatis suæ contractivæ defectu, aut vasorum ruptione, ut in stomacho erosâ tunicâ villosâ, quàm fluidorum dissolutione exoriri.

Maximis autem inter medicos dissensionibus ansam flavedinis illius causa dedit, quæ certis quibusdam periodis in oculis et cute apparet. Ex iniqua bilis secretione et absorptione ita cum sanguine mixtæ, oriri nonnulli judicant. Alii ipsum sanguinem mutationem subire credunt, qualem ecchymoses et extravasationes

* Vol. iv. 29.

vasationes obire suprà memoratum est. Qui ultimam hanc opinionem defendunt, alteri hoc repugnare dicunt, quod diversæ cutis partes diversè flavedine inficiantur, quod accidere posse negant, si flavedo ex bile cum sanguine mixta duceretur; porrò flavedinem præcipuè in iis occurrere partibus, ad quas ex priore calore ac rubore maximam sanguinis congestionem fuisse constet. Altera ex parte afferri potest, similem cutis flavedinem in temperatis et septentrionalibus plagis in iis febribus occurrere, in quibus sanguinis impetus haud justo fortior est; priore morbi periodo urinam, secundum HILLARIUM (p. 132.), maximè icteritii coloris esse; sæpè talem in hac febre sanguinis in jecore congestionem * deprehendi, et plerumque talem bilis in vesica fellea secretionem, qualis in casibus morbi jecoris idiopathici, quem icterus verus comitatur, existat: denique, utì in omnibus icteri casibus, sanguis bilis

* Non semper jecur sanguine tumet, quamvis hoc aliquando accidat. Conf. JACKSONI, "*Outlines of the History and Cure of Fevers,*" p. 210, 211.

bilis vehiculum est, ita cutis flavedinem in partibus maximè vasculosis, ubi plus sanguinis est, aut ubi cuticula tenuissima, qualis in vultu, cervice et oculis, (ubi tamen flavus bilis color neutiquam priùs distingui potest, quàm rubor è nimio sanguinis impetu ortus paulisper evanuerit), necessariò existere.

Primi igitur stadii symptomata, e nimio systematis arterialis impetu, oriri exploratum est. Neque minùs constat, post duos aut tres dies hunc impetum remitti, pulsum atque calorem ad naturalem statum redire, cerebri porrò functiones nonnunquam restitui. Rectè itaque quæritur, quì eveniat, ut cum hac periodo morbi periculum nequaquam tollatur, imò augeatur, ægrumque subinde opprimat? Hujus rei rationem ex ipsis symptomatibus mihi indagâsse videor. In hoc tempore plerumque accedit vomitus niger, et modò ostendere conati sumus, materiem ejectam sanguinem esse ex relaxatis aut erosis vasibus in intimam stomachi superficiem effusum. In quo ultimo casu, ex ipsa stomacho (visceri ad vitam maximè necessario) injuria organica facta

ta ægrum perire, aut in alterutro casu nimiâ fluidi vitalis evacuatione deficere, autumo. Hasce conditiones optimè illustrant phænomena omnia pylori aut stomachi sacci statum ulcerosum comitantia, in quibus mors longum sequitur vomitum et sanguinis dejectionem, quales ipsæ in febre flava deprehenduntur.

Inter causas mortis numeranda quoque venit debilitas illa gravissima, quæ violentam universi systematis excitationem sequitur. Causa hæc forsan rarior est, multòque frequentiùs mors accidit, parte quâpiam, vitæ necessariâ, læsâ, aut systemate arteriali debilitato, præsertim, si hæmorrhagia adjuncta sit, ut suprà dixi. De his diversis conditionibus, eruendæ prognoseos causâ, ex organorum diversorum statu judicandum est, ut cerebri, stomachi, cordis (pulsu et calore manifesti), et, an hæmorrhagia adsit, necne.

Quum jam præcipua symptomata, causas, morbidasque febris flavæ affectiones, explicare conatus sim, reliquum est, ut in charactera nosologicum inquiram. Quum morbum contagiosum

tagiosum tum actione maximâ incipientem, et posteà in maximam debilitatem exeuntem, deprehendamus, haud alienum fuerit, eum *Synochi* nomine appellare, quod genus in magni CULLENI Scala Nosologica sextum sibi locum vindicat *. Hujusce enim characteri apprimè respondet, nisi quod in quibusdam vix ullius momenti particulis differat; quod idem animadvertere licet in regionum temperatarum morbis, quos præcipuè eximium ejus systema comprehendit.

DE

* "*Genus* IV. SYNOCHA. Calor plurimùm auctus; pulsus frequens, validus et durus; urina rubra; sensorii functiones parùm turbatæ.

"*Genus* V. TYPHUS. Morbus contagiosus; calor parùm auctus; pulsus parvus, debilis, plerumque frequens; urina parùm mutata; sensorii functiones plurimùm turbatæ; vires multùm imminutæ.

"*Genus* VI. SYNOCHUS. Morbus contagiosus. Febris ex ſynocha et typho composita; initio ſynocha; progressu et versus finem typhus."

DE PROGNOSI.

Quod prognosin attinet, hanc, in primo stadio, ex excitationis aut symptomatum actionis arterialis violentæ, lenitate, pendere satis perspectum est. In secundo autem ac tertio, in symptomatum, quæ relaxationem morbidam, aut partium vitalium vitia, præsertim vomitum et hæmorrhagiam exserunt, absentia aut lenitate vertitur.

DE CURATIONE.

Curationis nomine venit Prophylaxis et Ratio Medendi: primùm igitur de prophylaxi loquamur.

PROPHYLAXIS.

Quanti momenti sit, in morbi tam diri avertendi modos inquirere, nemo facilè dubitet. Equidem, quæ universis, partim in navibus, partim in urbibus, versantibus, tum singulis hominibus observatu utilissima et ad cavendas tam atrocis hostis insidias efficacissima videantur, curatè ac solicitè exponam. Ac primùm quidem in navibus præcipua munditiei cura esto, ventis in eas quaquaversum aditus aperiundus, et humor omnis exsiccandus. Hæc prima haberi debent προφυλάγματα.

Post

Post hæc, nautarum ac vectorum corporibus talem habitum inducere necesse erit, qui ex tempestatis aut regionis calidioris mutatione haud quidquam damni trahat; quod quidem effectum dabitur, si fluida educantur, et irritabilitas imminuatur. In plethoricis, et robustioribus, sanguinis missio pro virium facultate, lenia autem evacuantia in omnibus adhibeantur. In laude quoque sunt balnea aquæ marinæ, diæta tenuior, et parcior animalis cibi usus. Damnosissima autem spirituum vini, frumenti, oryzæ, &c. ingurgitatio. Quod si neglectâ horum curâ febris prorumpat, nihil priùs, nihil antiquiùs habendum, quàm ut statim ægri separentur, et si fieri possit, ut contagio caveatur, in littus exponantur; omnes interiores navis partes, aceto et aquâ probè delaventur ac fumigentur. Lecti quoque nautarum iisdem perpurgentur. Optimos hujus rei effectus prædicat CHISHOLME (p. 210.). In urbibus quoque plurimùm refert, ut munda sint omnia, ut aër liberrimo commeatu gaudeat; quo quidem satis constat, domesticæ originis febrem averti. Atque ut

ista obtineantur, juxta CHISHOLMIUM (p. 202.), primùm idque in Coloniis et præsertim Grenadæ parva tecta lignea funditùs everti opus erit, in quibus plebs Alborum et Coloratorum liberorum infima, in aëre calido, putrido, et vitiato constipata, sese inebriare solet, quæ ferè quidem, receptis sensibus, febre maximè malignæ speciei tentatur. Substituantur his atque educantur tecta lapideæ struis, dilatentur vici, omnis generis sordes longè inde amoveantur, et in certa loca deferantur, mortuique extra urbem sepeliantur. Salutis Præsides, *Health Officers* dicti, qui solicitè caveant, ne munditiei quidquam impedimenti aut damni inferatur, publicè constituuntor; idemque, ne extrinsecùs adrepat morbus, omnes naves inspiciunto, quæ commercii quidquam cum loco habent. Ex nautis autem ac vectoribus terram salutare iis tantùm liceat, qui ab omnibus morbis contagiosis immunes sint. Copiæ militum, qui in terram exponuntur, statim ad salubres locos deducantur, diæta tenuiore et balneis utantur, et paulatìm calori assuescant. Ut morborum in urbibus propagatio

propagatio constringatur, legem ferri oportere censet RUSHIUS *, quæ medicos ad manifestandam morbi contagiosi existentiam perpellat, ut, si adventitius iste sit, causæ statim tollantur, atque naves adeò vitiatæ lavando et fumigando expurgentur; ut omnes, qui intra contagionis centum quinquaginta pedum spatium habitant, solum mutent; ut cum ægris nulla nisi ministrantium et medicorum communicatio existat; ut, quam natura ordinem ac legem servat, eandem in contagione et exhalationibus morbidis tollendis imitentur, ut adeò aquæ ex machinis quæ extinguendis incendiis inserviunt (*fire engines*) domibus vitiatis, et vicorum partibus proximis bis terve quotidie infundantur. Domuum, lectorum, et vestium expurgandarum causâ, nitri et substantiarum aromaticarum fumigationes frequententur, fenestræ patulæ sint; omnes lectorum vitiatorum partes nocte dieque probè laventur, et cum reliqua supellectile in propatulo collocentur. Salutarissimos cautionis hujus effectus expertus est RUSHIUS †.

In

* Vol. iv. p. 48.

† P. 141.

In singulis hominibus facilè perspicitur, si causæ prædisponentes evitentur, morbum quoque evitari. Prædisponit autem corpus, quidquid illud debile reddit, putà timorem, quamcumque intemperantiam, magnam defatigationem, si quis ægrum jejunus aut in perspiratione constitutus in cubiculo ejus invisat. Optima utique prophylactica sunt temperantia ac mundities. In hoc egregiè cadit CELSI regula, "Vitare fatigationem, cruditatem, frigus, calorem, libidinem; multòque magis se continere." RUSHIUS præcipit, ut diætæ vegetabili ea piperis mixtura addatur, quæ constantem et vegetum stomachi tonum servet, neque novam quampiam vasorum sanguiferorum actionem producat. Fumi virtutes prophylacticas imprimis laudat CLARK *. Omnibus sedulò cavendum, ne aëris vitiati limites intrent, quos quidem non ultra decem pedes extendi observavit CHISHOLME. Difficilior fortè contagioni ad medicos et qui ægris adsunt,

* Vol. I. p. 166.

adsunt, qui quidem ex muneris sui ratione limites istos observare nequeunt, aditus foret, si, ægris proximi facti, nares et os, quoad ejus fieri potest, contineant, et iis lintea, fluidis quibusdam antisepticis, præsertim aceto camphorato irrigata, admoveant, quandoquidem per pulmones magis atque stomachum quàm per cutem corpus intrare contagionem exploratum sit. Optima tamen et his prophylactica, temperantia ac mundities. Quo mitiore morbus appareat facie, cubiculum frigidius sit, auræque pateat. Porrò aër saturetur particulis antisepticis, tanquam aceto cocto, ustâ camphorâ, aut evaporato æthere sulphurico *.

Jam, quum optimas quascunque meo judicio morbum avertendi rationes adduxerim, rerum ordo exigit, ut ad curationem propiùs accedam. Atque hoc loco obiter monendum, quum morbum sub certis ferè aëris conditionibus

---

* Vid. Poissonnier, *Traité sur les Maladies des Gens de Mer*, tom. 1. p. 360.

nibus cum calore conjunctis, gigni deprehendamus, primarii momenti videtur, primis morbi symptomatibus ægrum ex tractu, quo malum contraxit, ad frigidiorem quendam ac puriorem locum transferre, quem morbo aditum intercludere experientiâ compertum est. Cujusmodi quidem loca in septentrionalibus Americæ regionibus facilè invenias; tum in insulis Indiarum Occidentalium colles sunt, ad quos causarum vis perniciosa vix sese extendere videtur. In his locis, in quibus tecta necdum suppetunt, satis esset, lignea quædam spatiosa tecta, quæ optimè ægrorum sanitati recuperandæ inserviunt, pro tempore exstruere. Qua quidem ratione vilissimo, ut ita dicam, pretio nosocomia talia magnæ illæ nationes emerent, quarum classes et exercitus hucúsque hac peste miserè occisi sunt. Hoc præstereà inde redundaret utilitatis, ut omnes ægri, talibus ædificiis inclusi, eodem tempore sub medicorum adspectum adducerentur, quorum opera ita facilior esset, et major inde cura in servis suppeditandis et remediis propriis administrandis adhiberetur. Optimos inde

effectus

effectus derivari jure affirmat LIND, de typho * (*jailfever*) loquens, si ægri ex impuro ac pestilenti navium atque casarum militarium aëre amoveantur, et tantam sanitatis spem febre flavâ laborantibus portendere videtur, ut mala omnia, ex itinere contracta, facilè eâ præponderentur; præsertim quum facillimè vehiculis propriis et ab Æthiopibus aut aliis, labori in istis regionibus adsuetis, ac minùs, quàm Europæi, causarum morbidarum viribus obnoxiis, transferri possint. Ubi autem, pluribus ex causis, talis in salubriores regiones deductio locum non habet, satis erit, iis aërem purificandi modis uti, quos modò, de præcavendi rationibus agentes, persequuti sumus.—Atque hæc quidem de curatione in genere; jam exponendum

DE

* *Diseas. of Europeans in Hot Climates*, p. 165. 166.

DE MEDENDI RATIONE.

Non minùs diversa medendi genera instituêre medici, quàm diversa descripsêre signa, diversasque de morbi origine habuêre opiniones. Sua cuique maximè placet medendi methodus, ad theoriam, quam quisque extudit, accommodata. Remedia multiplicia molientes, diversos effectus experti sunt. Ac satis consentaneum est, corporis indolem, tempus, remedia jam adhibita, varium effectum variamque morbi producere progressionem. Itaque e multis istis proferenda in medium ea, quæ prudentissimi expertissimique medici cognovêre efficacissima. Ipsa res monet, ut hæc sub variis curationis indicationibus, quæ ex corporis affectibus, adversam valetudinem constituentibus, produntur, digeramus.

Præcipuæ curationis indicationes postulant, ut

1*mo* loco, Minuatur nimia systematis sanguiferi actio, quæ primo stadio viget; quo illud simul adsequaris, ut

2*do*,

2do, Impediatur aut tollatur debilitas ista, quam nimia ista actio in sequentibus stadiis producere videtur.

Jam modi, quibus ista efficiantur, hi ferè sunt, et quidem

Stadio Primo

primam absolvunt indicationem *Evacuantia* et *Refrigerantia*.

I. Ex Evacuantibus præcipua sunt Sanguinis Missio, Cathartica, et Diaphoretica. Equidem primis illis maximè fidem habuerim, quum, etiamsi vulgatissimus diaphoreticorum usus sit, raró forsan in febris ullius incipienti salutaria sint stadio; in febre flava certè aliorum remediorum locum occupare non debent. Illa itaque tantâ copiâ intra primas quadraginta octo horas adhibenda sunt, ut nimia ista actio diminuatur ac tollatur; quandoquidem ita demùm debilitati instanti obviam ire licet, quæ aliter sequatur necesse

est.—Sed de his sigillatim agendum, et primùm quidem de sanguinis missione.

A. *Sanguinis Missio.*

Sanguinis missione systematis animalis stimulum tolli, vix est ut moneam. Atque in hoc plurimi consentiunt medici, sanguinis missionem incipiente morbo utilissimam esse. Suadent autem, intra secundum diem, pro ætate, viribus, temperamento, febrisque violentia, a duodecim ad viginti uncias detrahendas esse, idque repeti jubent nonnulli septimâ aut octavâ quâque horâ, adúsque animi deliquium. In nullis operam suam valuisse profitetur RUSHIUS, nisi qui incipiente morbo triginta octo aut quadraginta uncias sanguinis miserint; seque in omnibus ægris medendi rationem inde incepisse. Utilitatem, quam sanguinis detractio præstat, exinde quoque cognoscere licet, quod hæmorrhagia, certis temporibus sponte oriri solita, semper opitulari consueverit. Solet hæc quidem post sextam sanguinis missionem provenire, sed nunquam febris mortifera fuit, si hæc primo appareret

pareret stadio. Illis itaque, qui sanguinem incipiente morbo mitti utile esse negant, commodè SYDENHAMII verbis respondere licet, aut serò, aut parcè nimis detractum fuisse sanguinem. Quando autem adeò deprimatur æger, ut sanguinis missionem, communi modo adhibitam, sustinere nequeat, in primo et altero stadio scarificetur, et cucurbitulis, imæ colli vertebræ, temporibus aut stomacho adplicitis tentetur, usque ad quatuor aut quinque uncias; quò imminuatur ad caput et stomachum determinatio, vomitusque ac delirium levetur.

B. *Cathartica* *.

E Catharticis maximam virtutem habent mercurialia, cum sanguinis missione adhibita, utpote

---

* Optimè de republica medicorum, optimè de futuris medicinæ discipulis, meruit quod *Edinburgi* est *Collegium*, quando novam quidem Pharmacopeiam edentes, barbara et inania nomina repudiaverunt, ut, in locum, tecnologiam strictè philosophicam

utpote quorum effectus præsentissimi ac tutissimi sunt. Commendat RUSHIUS doses tres, e quindecim pulveris convolvuli jalapæ et decem sub-muriatis hydrargyri (calomelæ) granis compositas, quas æger sextâ quâque horâ sumat, donec ter quaterve alvum dejecerit. Nonnunquam etiam sex dosibus opus esse judicat. In sex diebus RUSHIUS 140 grana, CHISHOLMIUS autem febre haud remittente ferè 400 (ter die 50 gr.) exhibuit. Post alvum hisce remediis dejectam, per totam febrem oleum ricini communis, super-tartritem potassæ (cremorem tartari), sulphatem sodæ (sal Glauberi), pulverem rhei palmati (rhabarbarum), prouti ægri lubido fert, illis, quorum alvus facilè solveretur, idem dare consuevit. Ubi duriorem offenderet, sigillatim pulveris convolvuli jalapæ atque sub-muriatis

---

cam subrogarent. Vix opus est ut moneam, nulla ex inde argumenta deduci posse in generale commodum, quod nonnulla forsan adhuc inania aut imperfecta sint. Horum virorum auctoritate usus, apposui nomina quæ ipsi cum recentioribus scientiarum vindicibus admisêre.

riatis hydrargyri dosin propinavit; et convolvulo jalapæ, nonnunquam fortiorem guttam Gambam substituit. In pilulam fiebant $2\frac{1}{2}$ grana guttæ Gambæ, totidemque sub-muriatis hydrargyri quæ sextâ quâque horâ adulto porrigebantur, donec copiosè alvus difflueret. Anderson pulvere Jacobi unà cum sub-muriate hydrargyri salubriter usus est, testaturque illum, ad sequentem formam paratum, sub-muriatis hydrargyri effectus benè accelerâsse:

℞. Calomel. gr. v.;
Pulv. Jacob. gr. vii.;
Conf. cordiac. q. s. ut f. bol.
Tertiâ quâque horâ repetend., donec alvus plenè respond.

Rushius affirmat, per suam medendi rationem unum tantùm ex quinquaginta mortuum esse. Multi tamen Indiarum Occidentalium medici de hujus vi atque efficacia dubitant, dicuntque, imbecilliora ibi, quàm in America, esse corpora. Certè in hac febre, primum stadium in quavis regione calida maximam secum fert excitationem; unde in ea, utì dixi, largus

largus evacuationum usus esse debet, præsertim sanguinis; et, si in Indiis Occidentalibus breviùs hoc stadium occurrit, hoc tantùm infert, ut maturiùs ac diligentiùs hi curationum modi adhibeantur. Atque hoc confirmant Hillary et Moseley, qui medicinam in Indiis Occidentalibus exercuêre.

C. *Salivatio.*

Laudat hanc Rushius, Sydenhamii auctoritate fisus, ejusdem præstantissimos in febre annorum 1670, 1671, 1672, effectus prædicantis. Optimum ad eam rem commendant submuriatem hydrargyri præcipitatum (hydrargyrum muriatum mitem), necnon infrictionem cum unguento hydrargygri corpori adhibitam. Sunt tamen, qui salivationem minùs probandam existiment. Omninò quum pauci post quintum aut sextum diem moriantur, salivatio autem vix ante hanc periodum excitari possit: facilè perspicitur, ægrum absque salivatione valetudinem recuperare, morbo jam in mitius verso. Specialia insuper multa incommoda

commoda ex illa corporis affectione, quam salivatio affert, oriantur necesse est.

D. *Emetica.*

Auctores quidam contendunt, primas vias emeticis optimè purgari, et stomachum, bile superfluâ, cæterisque malis humoribus ita ejectis, remedia alia non fastidire. Plurimi tamen non modò non utilia, verùm etiam periculosissima, judicant. Neque temerè arbitror: quandoquidem sanguinis impetum in capitis vasibus aliisque vitalibus partibus, præsertim stomacho, jam nimis hoc vitio laborante, iis augeri in confesso est. Satiùs igitur erit, cautè admodum iis uti, quum eandem vim a catharticis expectare liceat.

E. *Enemata.*

Hoc stadio admodum probabile est, nihil enematum usu profici, nisi ubi cathartica a stomacho non retineantur. Currius (*Currie*) auctor est, enemata leniter laxantia mercurialium effectus benè promovere, si post hæc adhibita tres aut quatuor horæ injiciantur.

Etiam

Etiam frigidæ enematibus, laudante RUSHIO, quartarii (*a quart*) modulo, bis terve intra viginti quatuor horas post abundantem sanguinis missionem ac purgationem, commodè uti licebit.

F. *Diaphoretica.*

Diaphoreticorum usum multi hac quidem ex causa extollunt, quod post sudorem eruptum spasmi nonnunquam solvantur, ac febris remissio inducatur. In primis commendant pulverem Jacobi, oxidum antimonii cum phosphate calcis (antimonium calcareo-phosphoratum), tartritem antimonii (antimonium tartarisatum), et citram potassæ. Utcunque ista sese habeant, neutiquam tamen potentiorum remediorum, sanguinis putà missionem et cathartica, locum usurpare debent;—quæ quidem superiùs attigimus.

II. REFRIGERANTIA.

A. *Aër frigidus.*

Multos salutares aëris frigidi effectus enumerant auctores, qui de hoc morbo agunt.

Aeque

Æquè utilem prædicat Rushius (p. 284.), ubi arteriarum depressio ac pulsûs excitationis morbidæ ἀκμὴν indicat. Ibi tantùm usus ejus improbatur, ubi algor febrem comitatur.

B. *Aqua frigida.*

Maxima medicorum pars aquæ frigidæ usum ad cœlum extollit. Hanc anxietatem et dolores levâsse, signa periculosa depulisse, naturamque morbi prorsùs immutâsse testantur. Hujus affusionem primus ex forma præscripsit Currius, cujus rationem non alienum fuerit hìc ex ejus libro adducere. "Commodissimè ac tutissimè (inquit) utaris frigidæ adspersione aut affusione instante summâ exacerbatione, aut jam primùm declinante. Ob hanc causam frequentissimè eam a *sexta* ad *nonam* horam vespertinam applicari velim; rectè autem omni diei tempore adhibebis, *ubi nullus algor, ubi calor constanter naturali major est, et ubi perspiratio nulla profusa omnes corporis partes infestat.* Quæ ut observes, cura summa adhibenda est."

Iidem quoque frigidam potui copiosè datam laudant. In cujus usu eadem, quam modò de affusione exposuimus, valet regula. Detur aut pura, aut cum acidis et succis vegetabilibus mixta. In his eminent acidum sulphuricum, tartaricum, acetum, malus medica, citrus aurantium, citrus medica, uvæ Corinthiacæ, tamarindi et cæteri hoc genus fructus. Plerumque potiores habentur potus subacidi, qui non solùm palato jucundissimi sunt, sed etiam bilis qualitatem acrem misturâ corrigere solent. Detur autem, consueto potui, citras potassæ.

C. *Diæta.*

In hoc stadio, quod plerumque biduum aut triduum durare solet, observanda est veterum de diæta regula, ut nullus aut tenuissimus cibus administretur. Celsus (vol. iii. c. 19.) præcipit: Cibus non multus quidem, sed sæpè tamen, nocte ac die dandus est, ut nutriat, neque oneret. Is esse debet ex infirmissima materia, et stomacho apta. Optimè inserviunt leves vegetabilium infusiones, panis, *mal-*

tum

tum non fermentatum, farina avenacea, maranta arundinacea, et alia hujuscemodi farinacea.

Stadium Secundum.

In secundo stadio, in quo debilitas ægrum deprimit, exsurgit indicatio, debilitatem impediendam esse.

Summam curam in præsenti stadio postulat stimulantium usus, ne debilitas arcessatur actione nimiâ præviâ. Cæterùm, refrigerantia et evacuantia omittenda. Excipienda tamen cathartica, quæ hoc utilitatis habent, ut vasorum canalis alimentaris congestionem impediant aut removeant. Glandium enim, quas ista vasa supplent, excretionem serosam excitant. Hunc usum purgatio maximè in *enteritide* præstat, ubi sæpiùs nulla evidens acrimonia est, aut prævia fæcium accumulatio.

Cinchona officinalis. (Cortex Peruvianus.)

Magnoperè hujus usum laudant auctores, qui item stomachi vires cortici sumendo impendendas, porrò enemata ejusdem et fomenta interna

interna applicanda esse judicant. Sumatur tertiâ quâvis horâ sextarius (*a pint*) decocti, et toties ferè adhibeantur fomenta. Variat dosis pro rerum conditione. Nonnulli drachmam unam alterâ quâque horâ; alii duodecim doses, quarum unaquæque ex una drachma composita est, quâque horâ sumenda præcipiunt. Sunt, qui per plures dies certis intervallis, interpositis levibus catharticis, infusione putà rhei palmati ac tamarindorum et exiguâ sulphatis potassæ cum sulphure (salis polychresti) portione, istas repeti jubeant. Id quidem haud prætermittendum; quum, propter irritabilitatem, stomachus eum ægrè retineat, illum jucundissimo vehiculo dari oportere.

Aristolochia Serpentaria. (Radix Serpentariæ Virginicæ).

Cinchonæ officinali feliciter substitui potest radix aristolochiæ serpentariæ, iisdem viribus pollens.

Cortex

Cortex Angusturæ.

Locum etiam commodè habet Angusturæ cortex. Quamvis autem ille sæpiùs remedium salutare stomachoque accommodum repertus sit, nimiùm tamen ei in asperioribus casibus adrogare nolim. Scrupulum pulveris corticis Angusturæ, aquâ mixtum, horâ quâque, vel duos tertiâ quâque horâ, eventu felici adhibuit CHISHOLMIUS, (p. 183).

Ad partes etiam vocentur, quanquam judicio subtiliori adhibito, croton eleutheria (cortex cascarillæ), radix colombæ, gentiana lutea (radix gentianæ), quassia excelsa (lignum quassiæ), anthemis nobilis (flores chamæmeli).

Cibus.

Cibus hoc morbi stadio laborantium iisdem, quæ suprà laudavimus, generibus constet farinaceis.

Stadium Tertium.

In stadio tertio perstandum in eorundem tonicorum ac serpentariæ usu. Liberalior sit stimulantium usus, maximè oleorum essentialium, aromaticorum, vini et alcoholi, sub variis frumenti spiritûs, *brandy*, *arracki*, *rummi* formis, nec non liquorum ex *malto* compositorum, præsertim *porteri* (*porter*).

Vinum.

Vinum quidem nonnunquam maximè salutare, atque interdum omninò necessarium, remedium reperitur. Optimum est cardiacum, quod aut purum detur, aut cum cinchona officinali mixtum. De quantitate omninò in genere præcipi nequit. Satiùs est, tertiâ aquæ parte misceri, et sextarium (*pint*) circiter horam quamque vigesimam quartam sumi. Laudatissimum hanc in rem vinum Maderiense.

Vesicatoria.

Valentissimum, sub certis conditionibus, vesicatoria præbent remedium. Applicentur in hoc stadio imæ colli vertebræ, femoribus aut suris. Post alterum quoque diem, ubi evacuationes largæ factæ fuerint, deinceps abdomini et suris adponantur, quò deminuatur determinatio ad stomachum.

Cibus.

Præter vinum cæterosque generosiores potus jam suprà suggestos, pleniore omninò et densiore cibo nunc uti decet. De hoc nullam ferè regulam, nisi ægrotantium gustum habemus. Accommoda sunt jus hordeaceum, gallinaceum, *sago, salep, panada*, lac, lactantia, ova, ostrea.

In signis, quæ maximè amovere oportebit, vomitus primum locum occupat; cujus causa, utì suprà in symptomatum ratione vidimus, in nimio sanguinis arteriarum illius partis impetu quærenda est. Qui si per sanguinis missionem purgationemque, quæ stomachum

cum

cum cæteris systematis partibus afficiendo fontem ejus obturandi vim habent, haud sublatus fuerit, ad specifica quædam remedia, confugiendum est. Citram potassæ, suprà laudatam, utilem ad hanc rem experti sunt medici. Alii commendant magnesiam aquâ menthæ solutam; aquam calcis; florum anthemidis nobilis (chamæmeli) infusionem; ætherem sulphuricum; capsicum annuum, in pilulas conglobatum aut guttis datum; acetin plumbi aquâ tinctum; sulphatem argillæ; sulphatem zinci; tincturam opii ad gutt. 60 aut 80, et ad gutt. 200 cum ferula assafœtida, enematis formâ, adhibitam. Hoc quidem a priori probabiliter statuendum, remedia ea noxia videri, quæ stomachum in stadio primo jam nimis excitatum stimulare possint. Laudantur vesicatoria epigastricæ regioni eo consilio adhibita, ut determinatio ad corporis superficiem convertatur; et ad eundem finem, cataplasmata sinapeos, stomacho et plantis pedum apposita.

Quo loco haud alienum judicamus, diaphoreticorum usum proponere, quæ quidem Sydenhamius

DENHAMIUS in pestilenti, quæ Londini furebat, febre feliciter admodum adhibuit. Hæc sistebant omninò vomitum, qui in morbo isto omnem remediis agendi viam obsepiebat. Methodum ex ipso auctore in conspectum adducere lubet: "Post venæsectionem (quam in lecto celebrandam curavi, quum jam omnia ad sudores proliciendos in promptu essent), ne vel minimâ interpositâ morâ stragulis ægrum obrui, ac laciniam laneam sincipiti alligari, jussi; quæ quidem capitis obtectio, ad sudorem ciendum plùs proficiet, quàm quis facilè crediderit. Deinde, si vomitus non adessent, hæc et similia hydrotica exhibui:

"℞. Theriac. Androm. ʒß.; Elec. de Ovo ℈j; pul. e chel. cancror. comp. gr. xij.; Cochinell. gr. viij.; Croci gr. iiij.; cum f. q. succi Kermes f. bolus; quem sumat sextâ quâque horâ, superbibendo cochl. vj. seq. Julapii.

"℞. Aqu. Card. Benedicti et Scord. comp. ar. ℥iii.; Aq. Theriac. still. ℥ij.; Syr. Caryophyll. ℥j. Misc. f. Jul.

"Quod si vomitus interpellaret, ut in peste ac febribus pestilentialibus sæpissimè accidit, medicamentum sudorificum tantisper propinare distuli, donec solo tegumentorum pondere, (nisi quod linteaminis pars subinde ad colligendos halitus vultui superinduceretur), sudor promanare inciperet. Nam (quod quidem observatu summè dignum est) cum materiæ morbificæ radii versus ambitum corporis sese exporrigant, illico alvi profluvium et vomitiones ab iisdem introrsum reflexis, ac in ventriculum et intestina decumbentibus provenientes, ultrò sedantur, adeò, ut, quantacunque stomachi subversio præcesserit, absumpta deinceps medicamenta probè retineantur, ac ad sudores ex voto proliciendos conducant."—Hactenus ille *. Ad vomitum levandum utiles quoque fore judicamus cucurbitulas absque scarificatione adpositas, tum hirudinum usum, quanquam eas in terris istis occidentalibus ignotas esse putem.

Ad

* Op. Med. tom. i. sect. ii. p. 75.

Ad diaphoretica pertinent thermarum, secundo, præsertim incipiente tertio stadio, usus. Circumdetur etiam corpus fomentis e lana, vegetabilium aromaticorum, qualia sunt anthemidis nobilis, artemisiæ absinthii, tanaceti vulgaris, decoctionibus saturata, confectis. Harum infusionum odore æger refectus diutiùs remedia ferre potest, quàm si simplici aquâ utatur. Applicare ista licet stomacho, abdomini ac membris infimis, atque eò usque repetere, dum æger sustineat. Quo eodem consilio in secundo et tertio stadio adhibeantur opiata, quæ in primo fortè, quo non solùm sanguinis ad caput determinationem augere, sed alvi quoque adstrictionem producere, bonosque catharticorum effectus impedire possent, noxia existerent. His itaque non nisi plenissimâ alvi solutione impetratâ, et graviore febris impetu deminuto, uti licebit.

Hæc ferè sunt quæ de Febre Flava disserere habui. Inexperto detur venia, si multa desint quæ rei illustrandæ inservire possint, et

si

si multa in medium proferantur quæ forsan επι τω χρονω επαιδευθεις lubenter revocarem. De historia ac curatione nulla nova. De natura morbi forsan argumenta parùm firma adduxerim, unde refellerem quæ priores dixêre. Hæc forsan mihi exigua laus erit, in unum per plurima loca disjecta collegisse.

Quærere liceat, antè omninò relictum opus, an morbum nostrum non averteret variolarum vaccinarum inoculatio? Quod nuperi de viribus variolarum vaccinarum tradiderunt, pestem, nempè, aut penitùs avertere aut leniorem reddere; spem quoque nobis (forsan inanem) fecit, ut, iisdem, aut penitùs avertatur aut lenior fiat pesti adeò propinqua Febris, tam symptomatum diritate, quàm lato et patenti dominio.

FINIS